DE EXEMPLIS QUAE CLAUDIUS MARIUS VICTOR IN ALETHIA SECUTUS SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS MAURER

KERSPENHUSANUS.

MARPURGI CATTORUM.

MDCCCXCVI.

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine adprobata
pridie Id. Febr. a. 1896.

Theodoro Birt

Grato animo

Auctor

Dubitari non potest quin artis pars magna contineatur imitatione. Quint. X. 2. 1.

Claudium Marium Victorem in Alethia imitatorem esse priorum poetarum latinorum et ecclesiasticorum et ethnicorum nemo infitiabitur qui carmen eius paullo diligentius perlegerit et illos in comparationem vocaverit. Itaque equidem operae pretium esse putavi in hanc inquirere imitationem, ita vero disputabo ut disquiram et quae ratio intercedat inter Victoris carmen et Scripturam sacram et quatenus ex poetis qui antecesserunt pendere videatur Victor. Neque habeo quae praemittam nisi eorum virorum doctorum commemorationem qui aliquid ad haec studia ante me contulerunt.

Ac primum quidem digni videntur qui adferantur viri docti Hermannus Best et Rudolfus Amann. Quorum alter dissertationem: De Cypriani quae feruntur metris in heptateuchum, Marpurgi Cattorum 1891, alter: De Corippo priorum poetarum latinorum imitatore, Oldenburgi 1885 scripsit. Atque ille quidem praecipue per imitationes congestas non omnia illa heptateuchi metra unico Cypriano adscribenda esse indagavit, hic allatis imitationibus perscrutatus est quatenus a prioribus poetis latinis penderet Corippus; qua in re tam bene est versatus ut pro exemplo poni possit et ipse imitationem meruerit.

Sequatur Martinus Hertz qui vir eruditissimus „Analecta ad carminum Horatianorum historiam“ Vratislaviae 1876 sqq. composuit et de Horatii apud posteros memoria collectanea ita dilatavit ut scriptorum usque ad exitum latinitatis posteriorum magnum agmen in examen vocaret.

Restat ut paucis absolvam quae Theodorus Birt in Claudii Claudiani carmina nuperrime sibi compararit merita. Qui vir doctissimus in magna illa huius poetae editione quae in Monumentis Germaniae historicis (vol. XXX) anno 1892 prodiit sub finem prooemii (p. LXXIX) et de auctoribus et de imitatoribus Claudiani plenius disseruit. Neque miraberis, si in magno ibi imitatorum Claudiani numero etiam Claudium Marium Victorem deprehendes. Sed hac de re posterius.

Iam quae mihi ipsi de Claudio Mario Victore eiusque vita et carmine proferenda videntur paucis explicare conabor. Quibus de rebus in universum nihil memoriae firmiter traditum esse dicendum est. Ea quae Gennadius (vir. illustr. 61) significavit, speciem veritatis parum prae se ferunt habemusque cur ei diffidamus; nam Marius praecepta Semipelagianismi secutus erat, ipse vero Gennadius tres libros adversus Pelagianos composuerat. Contra non iniuria coniecerit quispiam nomen „Alethias“ Prudentio potissimum auctore carmini impositum esse. Namque ex Prudentii aetate et auctoritate poetarum consuetudo fluxisse videtur illa qua nomina Graeca carminibus suis inscribebant.

Nec longus ero in editionibus Alethias enumerandis aut percensendis. Immo in eius fere usu me contineo quae nuper curata est a Carolo Schenkl in corporis scriptorum ecclesiasticorum volumine XVI, Vindobonae a. 1888. Ac profecto, ille vir doctus de Victoris carmine in integrum restituendo optime meritus est, cum primus omnium textum corruptum et ab aliis dedita opera perditum recte constituerit multisque in rebus sanaverit. Nisi quod verba poetae nimirum etiamnunc hic illic correctionis indigent et emendationis.

His praemissis ad rem accedam propositam ita ut disputationem per duo capita absolvam, quorum prius est de ratione intercedente inter Victoris carmen et biblia sacra, posterius de imitationibus iisque rebus quas ex poetis aut aliis scriptoribus mutuatus est Victor.

Sed antea opera in conspectu ponam quibus in hac quaestione conficienda usus sum gravissima:

A. Ebert, Allgemeine Geschichte der Litteratur des Mittelalters im Abendlande, ed. II Lips. 1889.

M. Manitius, Geschichte der christlich-lateinischen Poesie bis zur Mitte des 8. Jahrhunderts, Stuttgart 1891.

A. Bourgoin, De Claudio Mario Victore rhetore christiano quinti saeculi, Paris. 1883.

P. Sabatier, Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae seu vetus Italica. Remis 1743.

Th. Heyse et C. de Tischendorf, Biblia sacra veteris testamenti Hieronymo interprete ...., Lips. 1873.

Ambrosii hexaëmeron ed. a Paulo Angelo Ballerini, tom. I, p. 1—190. Mediol. 1875.

R. Peiper, Cypriani Galli poetae heptateuchos, vol. XXIII. corp. scriptt. eccles., Lips. 1881.

Aem. Baehrens, Poetae latini minores V voll., Lips. 1879—1883.

I. C. Th. Otto, Theophili episcopi Antiocheni ad Autolycum libros tres, VIII. vol. corp. apolog. christ. saec. secund. Jenae 1861.

I. G. Mueller, Des Juden Philo Buch von der Weltschöpfung, Berol. 1841.

Leopoldus Cohn, Philonis Alexandrini libellus de opificio mundi, Vratislaviae 1889.

Fr. Kaulen, Geschichte der Vulgata. Mogunt 1868.

S. Berger, Histoire de la Vulgate pendant les premiers siècles du moyen âge. Nancy 1893.

Caput I.

Hinc ad Claudii Marii Victoris carmen ipsum et ad priorem quaestionis partem perficiendam properemus. Sic autem procedam, ut primum per totum opus qua libertate poeta filum sacrae scipturae reliquerit et variis sermonibus insertis exspatiatus sit illustrem, deinde in angustiores fines me conferens qua ratione ille Genesis capitis I versus 1—26 enarraverit, accuratiore disquisitione demonstrem. Nam in hac Genesis particula comparanda me continebo; ex parte totum unicuique apparebit, qui attendere volet.

Primum igitur de libertate compositionis exponendum; semper autem ad similia animum advertemus quae apud Graecos vel Romanos tum lectitabantur. Itaque non statim in mediam rem iniit poeta, sed precationem versuum 126 praemisit. Quod non temere, sed Iuvenco auctore et praeceptore factum esse tuo iure contendas. Ceterum eundem morem Ausonius et Prudentius et Claudianus secuti sunt. Neque in ipsa precatione semper in suis viribus stetit poeta. Conferas versus Victoris precationis 1—21 cum Theophili verbis l. c. I 3 et 4 maximeque II 3: *ο.. ἔτι μὴν μηδὲ τὸ ἐν τόπῳ χωρεῖσθαι· εἰ δὲ μήγε, μείζων ὁ χωρῶν τόπος αὐτοῦ εὑρεθήσεται· μεῖζον γάρ ἐστι τὸ χωροῦν τοῦ χωρουμένου· θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλὰ αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων* (cfr. al. precat. 10 sqq.). Qua de qualitate Dei iam Philo de somn. I 11: *αὐτὸς ὁ θεὸς καλεῖται τόπος τῷ περιέχειν μὲν τὰ ὅλα περιέχεσθαι πρὸς μηδενὸς ἁπλῶς . . . αὐτὸς τόπος ἑαυτοῦ* disseruit, ut Siegfriedus*) Theophilum

---

*) Philo von Alexandria als Ausleger des alten Testaments, Jenae 1875, p. 333 sq.

a Philone haec mutuatum esse recte coniciat. Et aliis locis apud Theophilum similia leguntur: cfr. II 10: *αὐτὸς* (sc. *θεός*) *ἑαυτοῦ τόπος ὤν* et II 22: *τὸν θεὸν ἐν τόπῳ μὴ δεῖν χωρεῖσθαι . . . Ὁ μὲν θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστι καὶ ἐν τόπῳ οὐχ εὑρίσκεται.* Huc ea quoque referri possunt quae Augustinus de civitate Dei XVI 5 tradidit: *non loco movetur Deus qui semper est ubique totus.* Praeterea virtutes Dei a Victore celebratae alios auctores resipiunt permultos. Praeter Plinium (N. H. II 7 (5) et Senecam (N. Qu. prolog. 13 et 14) scriptores gentiles christiani in usum vocati esse possunt. Commodianus carminis apologetici v. 91. 121. 141. 94. 99. 100. 124. sq. 276 nec non et Minucius Felix Octav. (ed. Baehrens) c. 18. 7 et 19 praecipueque Ambrosius hex. I 3. 9 ubi haec: *Deus qui est sine initio initium omnibus dedit*; *ut quae non erant, esse inciperent. Non mirum si Deus qui omnia virtute sua continet et incomprehensibili maiestate universa complectitur* . . .

Postquam Deus insequentibus quoque versibus laudibus exornatus est ita, ut decebat christianum, a poeta qua de causa carmen compositum, quid et quale sit constituitur. Priusquam autem opus ipsum aggrediatur, sub finem precationis Deum implorat, ut ipse viribus afficiatur aptis ad carmen bene digneque rebus propositis perficiendum. Qui mos Deum imprecandi ante poematis initium non proprius est christianorum. Conferatur Knickenberg, de deorum invocationibus . . . Marpurgi 1889.

His demum absolutis ad rem Victor accedit. Tribus autem libris quorum primus et secundus versuum numero inter se respondent, tertius multo ampliorem in ambitum patet, materia inchoata exponitur usque ad excidium Sodomae et Gomorrae, non ut a Gennadio memoriae proditum „usque ad obitum patriarchae Abrahae“. Nonnulli quidem viri docti in ea sunt sententia ut quartum librum intercidisse suspicentur.*) Et profecto, carmen non ab

*) Cfr. Ebert l. c. I. p. 371 n. 1.

omni parte perfectum et absolutum esse concedendum est. Neque negari poterit coniecturam illam commendari eo quod in fine codicum (cfr. p. 436) scripta videmus verba: *Cladi. Marii. Victorii . . . Alitias. Lib. IIII.*

Sed etiam in reliquis liberum arbitrium cernitur poetae. Iam enim ad biblia sacra conferenda accedimus. Primo autem obtutu iis qui Alethiam Victoris aliqua cum diligentia rimati sunt persuasum esse oportet poetam non arte serviliterque ad ordinem textus sacri se applicavisse, sed Moysis vestigia tantum persecutum esse quantum ad id quod sibi proposuerat assequendum aptum videbatur. Immo non satis habebat Victor verba scripturae sacrae versibus bene recteque compositis recoxisse, sed hic illic occasionem digrediendi textumque sacrum commentario suo illustrandi summa cum arte arripuit.*) Neque id cum damno carminis factum est. His enim in digressionibus quibus inter Alethiam et sacram scripturam discrimen maximum nobis occurrit latiorem Musa campum ingreditur Victorque vere se gerit poetam.

Aleth I. 405 sq.: *hic nunc excurrere paulum fas fuat* his verbis poeta palam fecit „excurrere“ sibi esse in animo; item aleth. I 144—146: *hinc iam fas mihi sit quaedam praestringere, quaedam Sollicito trepidum penitus transmittere cursu, Mutata quaedam serie transmissa referre* his versibus rursus de ratione ac via operis componendi agit; et ipse fatetur modo seriem rerum mutari, modo excurri, modo breviari argumentum. Ceterum digressiones quae in omnibus carminis libris nobis offeruntur pulcherrimae partes reapse aestimandae sunt. De exemplis quae in iis expressisse videtur Victor nonnulla adnotare pergam; fatendum est tamen subtiliore haec inquisitione indigere quam aliis relinquendam putavi, cum neque tempus neque vires mihi suppeterent.

---

*) Cfr. Bourg. l. c. p. 56.

Primo libro post creationem mundi hominisque omniumque animalium ea pars memoria digna videtur qua paradisus et quattuor fluvii depicti sunt: al. I 223—304. Qua in pictura poeta solitum generis scribendi modum excessit, vixit sane multifariam aliena quadra. Nam negari nequit Victorem „e gentili Vergilio eos colores duxisse quibus christianorum Elysios campos (georg. I. 38) effingat“ (cfr. Burg. p. 61). Praeter georgicon librum secundum quarta ecloga in usum vocata esse videtur. Nec minus apte conferri possunt quae cecinit Ovidius met. I 89—150, quibus versibus quattuor aetates mundi stilo elatiore describuntur. Fabulam autem de quattuor fluviis quam biblia sacra II 11 sqq. et Victor I. 275 sqq. praebent aliis quoque gentibus notam fuisse ex Platonis Phaedone 112 E. et 113 C. cognoscitur. Minus vero respexisse videtur Victor Cypriani Genesim 50—71, quae quamquam easdem res illustravit propter siccitatem et sterilitatem eius modi erat, ut poetam ad imitationem minus invitaret. Quapropter equidem non facio cum Manitio (l. c. p. 183 adn. 2), etsi non invitus concedo Cypriani Genesim etiam a Victore haud raro usurpatam esse. Atque alicuius momenti sunt quae sub finem huius partis al. I 288—304 de Euphrate et Tigride falso irrepserunt. Utrum autem Victor auctores ante oculos habuerit falsos an proprio Marte erraverit non liquet. Qua in re diiudicanda Victorem Lucano maxime auctore III 256—263 et X 32 sq. adductum esse puto, ut versus al. I 299 sq. pangeret:

iustior Euphrates, diti qui gurgite largus
inrigat arentes subiectae Persidis agros.

Id quod de hoc fluvio recte disseruit Minucius Felix Octav. 18.3: *Euphrates colentes Mesopotamiam pro imbribus pensat* non videtur memoria tenuisse Victor. De Tigride conferas al. I 295 cum verbis Ammiani Marcellini XXIII 6. 15.

In ceteris omnibus libri primi excursibus conducit Victorem cum Theophilo contendere. Locos autem apud utrum-

que inter se respondentes afferri satis erit. Atque apte possunt comparari:

al. I 325 sqq. et Theoph. II 24 et 27: quibus locis sermo est de libertate qua homo ante peccatum utebatur. Quo pertinent etiam al. I 162.

Porro conferantur:

al. I 371 sqq. et al. I 409 sqq. et Theoph. II 28 et Philo c. 53.

al. I 456—470 et Theoph. II 26.

Similia quoque leguntur apud Philonem c. 26 et Commodianum Instruct. I 34. 18 sqq. et Augustinum de civ. Dei XIII 15.

Denique silentio non praetermittenda sunt quae legimus al. I 530 sqq. Ubi in eam adductus videtur sententiam poeta, ut primos homines turbine venti ex Paradiso sublatos et in terra depositos esse censeat. Mirum sane in modum hoc dictum est. Neque enim mihi persuaderi potest Ambrosio potissimum auctore hex. VI 9. 57: *in sublime locatum vehunt* (cfr. al. I 532: *vehens*) permotum esse Victorem, ut ista caneret.

Magis autem suo indicio usus esse videtur in tractandis digressionibus libri secundi. Attamen etiam in hac parte aliunde sua sibi decerpsisse Victorem certissimis potest demonstrari exemplis. Digressio amplioris ambitus sunt versus al. II 1—195. Qui unde fluxerint nunc quaeritur. Etenim ad hanc quaestionem solvendam etsi Manitius iam verba fecit (l. c. p. 184), non satis fecit. Neque enim satis esse videtur in universum solummodo de rebus quae aguntur disputare, sed opus erit versus allatos diligenter perpendere. Atqui ex variis fontibus hausisse poetam apparet. Praeter Vergilium georg. I 135 et Hilarium in Genesim 8 et 168 vestigia Lucretianea V 1239—1272 maxime secutus esse videtur Victor, quod iam recte adnotavit Manitius (l. c. p. 184 n. 2 et 3). Sed maioris momenti esse mihi videntur philosophice dicta. Nam versus al. II 43—53 ad Philonis verba c. 23 respicere videntur:

νοῦς . . . ἀόρατός τε γάρ ἐστιν αὐτὸς πάνθ' ὁρῶν καὶ ἄδηλον ἔχει τὴν οὐσίαν τὰς τῶν ἄλλων καταλαμβάνων . . . καὶ πάλιν πτηνὸς ἀρθεὶς καὶ τὸν ἀέρα καὶ τὰ τούτου παθήματα κατασκεψάμενος ἀνωτέρω φέρεται πρὸς αἰθέρα καὶ τὰς οὐρανίους περιόδους . . . et quae sequuntur hoc capite conferenda sunt cum versibus al. II 187 sqq.: *πλανήτων τε καὶ ἀπλανῶν χορείαις συμπεριποληθεὶς καὶ τοὺς μουσικῆς τελείας νόμους, ἑπόμενος ἔρωτι σοφίας ποδηγετοῦντι, πᾶσαν τὴν αἰσθητὴν οὐσίαν ὑπερκύψας ἐνταῦθ' ἐφίεται τῆς νοητῆς.* Quae quidem nunc in comparationem opposita exhibui, num revera Philonem ant Theophilum inspexerit poeta, infra indicabo.

Minus facile intellegitur quid mundus minor et maior al. II 182 sq. sibi velint. Id quod Schenkelius praef. edit. p. 351 dixit, quamquam huc spectat, non acu rem tetigit. Potius mundum minorem significare voluit hominem primum quem Philo c. 27 *βραχὺν οὐρανόν* vocaverat; saepius autem a Philone appellatur *βραχὺς κόσμος* quod cognoscitur ex locis de confus. ling. 339; de post. Caini M. I 263 M. (cfr. Muell. p. 285).

Quae vero sub finem huius longae digressionis leguntur, ea iam maximam partem a Schenkelio praef. p. 351 sq. disquisita sunt. Iis quae attulit adici possunt loci apud Philonem c. 17 et Ambrosium hex. II 2. 6 quibus de harmonia sphaerarum agitur. Summa vero cum elegantia verborum haec res ab Ambrosio l. a. reddita est his verbis: *Philosophi septem stellarum et solis et lunae globorum consonum motum introduxerunt . . . eoque impulsu et motu ipsorum orbium dulcem quendam et plenum suavitatis atque artis et gratissimi modulaminis sonum reddi; quoniam scissus aër tam artifici motu et acuta cum gravibus temperante, ita varios aequabiliter concentus efficiat, ut omnem supergrediatur musici carminis suavitatem.* Quae manarunt ex Cicerone de re publ. VI 18: *quis est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est ille qui intervallis disiunctus inparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis impulsu et motu ipsorum orbium efficitur et acuta*

cum gravibus temperans varios aequabiliter concentus efficit ... Nos quidem propter „nubem malorum" nihil eius concentus audimus et sentimus, quod placita Pythagoraeorum resipit. Etiam Cicero loco allato idem cogitavit haec verba scribens: *hoc sonitu oppletae aures hominum obsurduerunt* et paullo infra: *hic ... sonitus ut eum aures hominum capere non possint.* Fortasse etiam huc spectat quod Commodianus carm. apolog. 32 sq. cecinit: *Nati prudentes, qui hebetes morimur, quid profuit lucem vidisse?*

Quod versus al. II 194 sq. praebent, in Platonem Men. 81 CD cadit: *ἡ ψυχὴ ἀθάνατος ... ἑωρακυῖα καὶ τὰ ἐνθάδε καὶ τὰ ἐν Ἅιδου καὶ πάντα χρήματα, οὐκ ἔστιν ὅτι οὐ μεμάθηκεν ... τὸ γὰρ ζητεῖν ἄρα καὶ τὸ μανθάνειν ἀνάμνησις ὅλον ἐστίν.*

A versu 196 ad ordinem bibliorum sacrorum revertitur poeta. Sed per Abelum a Caino occisum denuo causa allata est exspatiandi versibus 227—279. Neque insulsum esse videtur hic in mentem revocare quae ab Ovidio met. I 163—252 de Lycaone efficta sunt. Cainus enim et Lycaon viri digni sunt qui inter se conferantur. Quorum ille fratrem suum supplicio affecit, hic ad tantam processit nequitiam, ut vitae Jovis ipsius insidias pararet. Itaque uterque quasi auctor impietatis generis humani factus est. Sed cum ceteri omnes homines non minus Lycaone corrupti et depravati essent, concilium deorum vocatur, in quo Juppiter ad alios deos refert de Lycaonis facinoribus aliorumque hominum. Quapropter homines ob depravatos mores delendi sunt visi. Idem vero cadit in Victoris versus al. II 342 sqq. Nam hic quoque Deus longiore ad Noachum oratione habita malos homines et a recta via aberrantes diluvio perdere constituit. Cuius diluvii descriptio quae omnem fere partem reliqui libri secundi continet nec brevis vel ieiuna nec humi serpens, sed plena est elationis et elegantiae dicendi. Tamen huius rei depingendae etiam auctores ante oculos Victoris fuisse apparebit. Cui enim non in mentem Ovidius venerit, qui met.

I 253—415 easdem res cecinit? Et servantur in diluvio apud Ovidium solus Deucalio et Pyrrha, apud Victorem Noah cum suis et animalibus in arca receptis. Minus in censum veniunt Theophilus III 18 et 19 et Prudentius Dittoch. 3. 3 et Hilarius in Genesim 191 sq.*)

Restat ut tertii libri digressiones paucis absolvam. Postquam enim Noah de vita decessit, occasio digrediendi non est praetermissa. Initio huius excursus v. 109—209 id agit poeta ut quomodo artes et litterae ortae sint exponat. Ubi primum homines propter peccatum damnati sunt, etiam scientia nativa disparuit. Propter debilitatem memoriae humanae omnia litteris mandata sunt et ad cultum falsorum deorum se converterunt homines. Ad versum 122 respicere videtur quod Ambrosius hex. I 1. 4 et hex. VI 7. 40 exhibet: *Deus . . . ipse incorporeus.* Et „Apollo falsus" iam a Statio Theb. X 847 commemoratur;**) nec minus Apollo falsus iam Commodiano Instruct. I 11 ludibrio fuit. Sed id quod huius capitis videtur esse gravissimum ex Minucii Felicis Octavio 20. 5 et 6 accitum est. Quo loco imitatio Victoris eo probabilior est, cum et in genere dicendi congruentia existat al. III 127: *sitque palam* et Octav. 18. 7: *cum palam sit*; quamquam haec elocutio etiam e Claudiani bello Gild. 431 deprompta esse potest. In aliis huius libri partibus poeta sibi constitit neque a via proposita disserendi et commentandi aberravit. Amplificatae sunt res in bibliis sacris narratae versibus al. III 257—302, quibus de confusione linguarum copiose peroratur. Omnes scilicet linguae hebraea excepta perierunt, quia hebraei „culpae expertes" erant. Quam totam descriptionem ex se ipso hausisse videtur poeta, nam quod Theophilus de origine generis hebraei (III 36) protulit ad hanc rem minus spectat. Idem cadit in reliquas digressiones quarum versus al. 415—456

*) Cfr. Manit. p. 185 n. 1.

**) Vide infra de Statii imitatione.

maxime digni sunt qui afferantur. Ubi praecipue Prudentii vestigia*) secutum esse Victorem iam Manitius indagavit.**) Atque in eiusdem paginae adnotatione 2 Manitius Victorem al. III 436 a Prudentio (l. c. p. 27) pendere ab omni parte exploratum putat. Quodsi concedimus, coniectare licet Victorem et hoc loco a se non discessisse, sed Vergilium secutum esse in iis partibus quibus de pugnis depingendis agitur. Sed utut haec res se habebit, gravissimus huius loci auctor esse mihi videtur Lucanus quem aliis quoque locis non invitus secutus est Victor. Modo conferatur locus Lucani IV 558: *pariter steruntque caduntque* et Victoris al. III 422: *pariter sternuntque caduntque.*

Denique exstat quod quidem memoratu dignum videtur somnium Abrahami in versibus 523 sqq. narratum. Quod a poeta sua sponte carmini intextum esse non longe abest suspicio. —

Postquam omnes eos excursus qui multum tribuunt ad cognoscendam rationem quae inter Victoris carmen et biblia sacra intercedit perlustravimus, iam necessarium videtur quaerere, cur maxime tanta qua vidimus cupiditate occasionem digrediendi arripuerit poeta. Ac primum quidem mihi videtur in eo causa esse posita quod materiam per se siccam aptiorem reddere voluit ad puerorum animos excitandos ut res facilius meliusve retinerent memoria. Itaque summa cum diligentia omnia omissa sunt quae ab usu Romanorum maximeque a puerorum animis ad virtutem educandis abhorrent. Et profecto, ante omnia nomina illa propria sacrae scripturae quae pueri non facile retinere memoria poterant praeteriri necesse erat. Deinde silentio non est praetermittendum Victorem se ipsum praestare voluisse et poetam insignem et vere christianum. Quod quidem in iis partibus cernitur quibus in haereticos vehementissime invehitur.

---

*) Psych. praef. 19—83.

**) p. 186.

Iam vero ut erat propositum ad Genesis I 1—26 enarrationem nos vertamus qualem Victor praestiterit percensendam.

Gen. I 1: *in principio fecit* (lect. Vulg. *creavit*) *Deus coelum et terram.*

Verba „in principio“ a Victore pluribus explicantur v. 1—47, quod suo iure fecit poeta; vocabulum autem ipsum „principium“ versu demum 31 legitur. Quod si versus proxime allatos per singula perlustramus et videmus quid ad Moysis verba adiecerit Victor, his quoque in rebus exponendis eum non suis viribus ubique stare apparet. Nam ante eius aetatem iam alii viri tractaverunt similia.

Atque abhinc praeter ceteros et maiore cum cura Ambrosium in comparationem vocabimus. Nam is commentaria in Genesim amplioris ambitus composuerat quae magnam doctrinae speciem ethnicorum prae se ferebant. Ex quibus fructus percipiendi Victor occasionem arripuit, praesertim cum plura quam quae in Moysis libris erant memoriae prodere vellet. Itaque Ambrosii hexaëmeron quod ab omnibus fere clericis tum ni fallor lectitabatur eiusmodi erat, ut poetam multo magis quam Graeci Philo et Theophilus ad imitationem et tempore et rebus vocaret. Illud vero pro certo affirmare licet Victori Ambrosii hexaëmeron fuisse ducem Alethias carminis condendi. Quod in iis quae sequuntur ad pulvisculum nobis excutiendum est.

Ad versus al. I 1 sqq. plane pertinent Ambrosii verba hex. I 2. 5: *Deum . . . ante initium mundi esse vel ipsum esse initium universorum* et hex. II. 1. 1: . . . *Dei omnipotentis et Domini Jesu Christi, Spiritus quoque sancti operatione cognovimus.* Sed filium cum Deo coaeternum neque patri esse dissimilem etiam ex Ambrosio hex. III 7. 32 declaratur. Illius autem verba sunt: *Non agnoscis opus te esse Christi? Manibus suis ille te formavit . . . Nam si imago, non dissimilis utique: sed totum ex*

toto exprimens Patrem quem Pater substantiae suae unitate significavit (cfr. al. I 7: *una trium quo se vegetans substantia nexu*).

In iis qui sequuntur versibus poetae consilium luce clarius est. Quae Victor al. I 8 sq. maximeque v. 14 cecinit, relationem habere videntur ad ea quae Ambrosius exhibet hex. III 10. 44: *quod seminat Christus regnum est Dei* et hex. I 2. 7: *sed in ostensione spiritus et virtutis tamquam testis* (al. I 14: *teste*) *divini operis ausus est dicere* . . . et paullo infra: *quod . . . substantiam et causas rerum mens sola divina contineat* (al. I 7. 10). Postquam virtus trina deus v. 15 (hex. I 2. 7: *divina virtus*) praedicatus est, versibus 18 sqq. exponitur, qua ratione et quo ordine naturam et omnia quae videmus procreare constituerit Deus. Scilicet cum Deus omnia simul procreare posset, non egebat tempore et ordine. Quam cogitationem aliquam contrahere cognationem concedendum est cum verbis Philonis l. c. 3: *Ἐξ δ᾽ ἡμέραις δημιουργηθῆναί φησι τὸν κόσμον, οὐκ ἐπειδὴ προςεδεῖτο χρόνων μήκους ὁ ποιῶν — ἅμα γὰρ πάντα δρᾶν εἰκὸς θεόν . . . ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τοῖς γινομένοις ἔδει τάξεως.* — Porro al. I 23 docemur non esse casum, sed omnia ea quae videmus administrari a Deo. Hic praeter Ambrosium hex. I 2. 7 sub finem paragraphi perbene conferri possunt quae Manilius astron. I 531 cecinit: *Non casus opus est, magni sed numinis ordo.*

Nec non et tempus erat nullum, priusquam rerum universitas et totius mundi convenientia procreata esset. Al. I 26: *et nullum tunc tempus erat*; confero quae scripta videmus apud Ambrosium hex. I 4 16: *in principio fecit Deus coelum et terram, id est ante tempus*; *sicut initium viae nondum via*, *et initium domus nondum domus*. Atque per eundem auctorem demonstratur hex. I 6 20: *tempus . . . ab hoc mundo*, *non ante mundum*. Namque mundum non sine principio, non coaeternum esse Deo Ambrosius docet hex. I 3. 11. Contra et ipse Ambrosius

hex. I 2. 5 dicit: *ut Deum cognosceres ante initium mundi esse vel ipsum esse initium universorum.* In eundem autem sensum etiam Augustinus disputavit de civ. Dei XI. 6: *procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore.* Minus in comparationem vocavisse videtur Victor quae Ambrosius hex. I 7. 25 de loco et Augustinus l. c. XI 5 disceptaverunt. Nolo omittere et alios scriptores et philosophos hac de re similia cogitavisse. Modo conferantur Ciceronis verba de nat. deor. I 9. 21: *nullum cum tempus esset ... si mundus nullus erat, saecula non erant.* Ceterum dignus est qui afferatur Philo Alexandrinus qui de opificio mundi 7 hunc in sensum disseruit: *φησὶ δ' ὡς ἐν ἀρχῇ ... ἀρχὴν παραλαμβάνων, οὐχ ὡς οἴονταί τινες τὴν κατὰ χρόνον· χρόνος γὰρ οὐκ ἦν πρὸ κόσμου, ἀλλ' ἢ σὺν ἀυτῷ γέγονεν ἢ μετ' αὐτόν.* Qua in re illustranda Philonem artissime se applicavisse ad Platonis praecepta qui inter vocabula *αἰών* et *χρόνος* diligenter discriminavit, iam Muellerus l. c. p. 168 docuit. Verba autem Platonis huc spectantia leguntur Tim. c. 10 (27 D.): *καὶ διακοσμῶν ἅμα οὐρανὸν ποιεῖ μένοντος αἰῶνος ἐν ἑνὶ κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον εἰκόνα, τοῦτον ὃν δὴ χρόνον ὠνομάκαμεν. ἡμέρας γὰρ καὶ νύκτας καὶ μῆνας καὶ ἐνιαυτοὺς οὐκ ὄντας πρὶν οὐρανὸν γενέσθαι, τότε ἅμα ἐκείνῳ συνισταμένῳ τὴν γένεσιν αὐτῶν μηχανᾶται. ταῦτα δὲ πάντα μέρη χρόνου, καὶ τὸ τ' ἦν τ' τ' ἔσται χρόνου γεγονότα εἴδη ...* Omnes autem philosophi Platone excepto qui ante Aristotelem fuerant in ea stabant sententia ut tempus esse mundo antiquius putarent. Quod recte se habere Aristoteles docet phys. VIII 1. 10 (251 b): *ἀλλὰ μὴν περί γε χρόνου ἔξω ἑνὸς ὁμονοητικῶς ἔχοντες φαίνονται πάντες· ἀγένητον γὰρ εἶναι λέγουσιν ... Πλάτων δ' αὐτὸν γεννᾷ μόνος· ἅμα μὲν γὰρ αὐτὸν τῷ οὐρανῷ γεγονέναι, τὸν δ' οὐρανὸν γεγονέναι φησίν.*

In versibus qui sequuntur (31 sqq.) ad eam ducimur sententiam ut omnia quae ex corporibus constant aliquando initium cepisse existimemus. Cuius rei et ipse auctor est Ambrosius qui hex. I 3. 10 haec verba fecit: *Quae autem*

initium habent, et finem habent: et quibus finis datur, initium datum constat. De forma coepisse vide apud Ambrosium eodem loco et apud Victorem al. I 28. Praeterea nos arbitrari necesse est mundum factum esse (v. 37 sqq.) a Deo, hoc est numine verbi (v. 38 et 89). Eadem vero senserat Ambrosius verba faciens hex. I 5. 19: *et factus est ergo mundus . . . hic mundus est factus.* Omnes autem qui veram Christi doctrinam profitebuntur hoc concedent. Sed quid hoc sibi velit „verum dogma" (v. 38) haud satis aperte expositum est a poeta. Certe autem significare voluit id verum esse placitum quod ipse omnesque homines ii qui ab ipsius partibus stabant profitebantur. Quodsi versus carminis initiales consuluerimus (cfr. al. I 4 sqq.), res per se ipsa planissime explicabitur. Neque enim dubitari potest quin verum dogma, cuius contrarium „falsa dogmata" Augustinus de civ. Dei XIX 19 adfert, in eam partem accipiatur, ut doctrina potissimum de Dei trinitate intellegatur quippe quae tum maximae curae ecclesiasticis fuerit; ad eamque respiciunt Victoris verba „virtus trina deus" (al. I 15). Quod de trinitate decretum illo tempore quo Ambrosius vixit multi viri ut refutarent operam navaverunt, contra alii et soluta oratione et versibus defenderunt, id quod cognoscitur e. g. ex Ambrosii verbis quae sunt: *Quid enim potentius quam confessio trinitatis quae quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, patrem et filium et spiritum sanctum norunt versibus praedicare* (cfr. Manit. l. c. p. 139.). Et de eadem re Augustinus de civ. Dei V 11: *Deus . . . summus et verus cum Verbo suo et Spiritu sancto, quae tria unum sunt, deus unus omnipotens* . . . et ib. XI 10: *Patrem et Filium . . . cum spiritu suo unus est Deus; qui spiritus Patris et Filii Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris litteris nuncupatur . . . Et haec trinitas unus est Deus.* Huc spectant etiam versus Paulini Nolani (ed. Hartl) epist. 32. 7: *Atque ubi Christus, ibi spiritus et pater est.* . . . 32. 10:

Pleno coruscat trinitas mysterio.
Stat Christus agno, vox patris coelo tonat
Et per columbam spiritus sanctus fuit.

ib. 32. 15:

Una fides trino sub nomine quae colit unum
Unanimes trino suspicit introitu. —

A versu 48 demum descriptio rerum naturae initium capit et ab hoc versu biblia sacra in comparationem proprie vocanda sunt. Memorantur primum apud Victorem „excelsi convexa poli terraeque iacentes“ eaque dicuntur „prima pars operis“ (al. I 49. sq.). Ubi vocabulo „polus“ conferas Ambrosii locos hex. I 6. 20. et 8. 29. et 32. Haec autem verba in textu sacro sunt: *in principio fecit Deus coelum et terram*. Deinde in versibus 50—62 primi diei opus describitur. — Conferamus Gen. I 2: *terra autem erat invisibilis et incomposita* (lect. Vulg.: *inanis et vacua*), *et tenebrae erant super faciem abyssi: et spiritus Dei superferebatur super aquas.* Vides vocem „incomposita“; ea imitatione expressa videtur esse apud Victorem al. I 55: *nondum compositis . . . terris* saepiusque eadem apud Ambrosium. Conferas modo locos hex. II 1. 2 et III 6. 52. Verba sacrae scripturae *tenebrae* eqs. Victor reddidit versibus I 51. sq.: *aeraque in medio sordenti nube madentem Umbra poli densis urguebat caeca tenebris.* Sin autem subtilius Victoris verba intuemur et cum sacro textu comparamus, discrimen occurrit quod positum est in vocabulis: „aer, aequor, nubes, madens.“ Miramur enim quod iam hoc loco a poeta introductus est aer; neque enim in principio rerum aerem fuisse Moyses docuerat. Sed dubitari nequit quin Victor ut ita scriberet Ambrosio praeceptore et auctore permotus sit his locis perpensis hex. I 6. 20 . . . *quattuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia. Elementa autem quatuor aer ignis aqua et terra quae in omnibus sibi mixta sunt* . . . et hex. I 8. 28: *tenebrae erant quia aer ipse tenebrosus est. Aqua ipsa sub nube tenebrosa est quia tenebrosa aqua in nubibus*

aeris . . . (vides hic etiam nubem) et hex. I 8. 30: *quattuor primum elementa generata coelum terram mare aerem; eo quod causae rerum, ignis et aer, terra et aqua sint.* Dilucide Ambrosius iam primo operis die aerem ortum esse profitetur hex. II 1. 1. verbis: *circumfusum aerem.* Ceterum similia etiam apud Ovidium leguntur. Ut enim post confusionem rerum et elementorum terra continens aer mare (pontus) aether (caelum) orta sunt (cfr. Ov. met. I 50 sqq.), ita etiam apud Victorem haec *ῥιζώματα πάντων* facta esse videmus. Quorum vocabulorum nonnulla ab Ovidio iterum ac saepius repetita sunt velut aer (cfr. met. I 12. 15. 17. 23. 52. 58. 75.).

Neque in insequentibus versibus poeta verba bibliorum sacrorum ad litteram reddidit velut pro lectione „spiritus dei" verba „spiritus sacer" (al. I 53) usurpavit. Fortasse metri causa hanc lectionem praetulit. Sed enim a recta via non deflectemus, si hoc quoque loco Ambrosium praeter ceteros praetulerimus ducem. Qui hex. I 8. 29 illum creatorem „spiritum dei" pro sancto spiritu interpretatus est: *nos tamen cum sanctorum* . . . *Spiritum sanctum accipimus, ut in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat* et paullo infra: *nam etiam Spiritum sanctum legimus creatorem* . . . *sive ergo Spiritus sanctus superferebatur super aquas* . . . *sive aerem accipiant, respondeant qua ratione Spiritum Dei dixerit.* Eadem lectio invenitur hex. III 1. 5. Ad locum citatum etiam respicere videntur quae Augustinus de civ. Dei VIII 11 praebet: *parum quippe* . . . *spiritum Dei, quoniam et aer spiritus dicitur.* Victor non sanctum, sed sacrum scripsit. Nam et poetae ethnici et scriptores adiectivum „sacer" in eandem sententiam usurpaverunt. Scriptum est enim ab Ovidio met. I 254: *sacer* . . . *aether.* Idem quod Ovidius de aethere Plinius de mundo praedicavit N. H. II 1: *sacer est* (sc. mundus). — Neque aliter res se habet in verbis quae al. I 54 et 55 leguntur: *et semina rerum terris dabat.* Quae rursus a poeta carmini inserta sunt Ambrosium

sequente. Facilius autem res intellegitur verbis eius collatis hex. I 8. 29: *Spiritus superferebatur, qui per ipsum habebant novorum partuum semina germinare* . . . Et *Spiritus dei fovebat aquas, id est vivificabat, ut in novas cogeret creaturas et fotu suo animaret ad vitam.* Neque omnino in tota hac parte suis viribus stetit Victor. Nam verba Ambrosii hex. V 1. 1.: *spiritu omnes terrarum foetus aluntur* et ib. V 3. 7: *aqua animat et creat . . . sui caloris animare et spiritu alere* et ib. V 4. 10: *neque a suae altricis discerni munere* poetae nostro nota fuisse debent; modo legamus versus Victoris al. I 53 et 54: *spiritus undis Altrices animabat aquas.* Verbum ipsum fovere in versu demum 151 ab eo adhibitum est. Utrum autem his in rebus Ambrosius ipse pendeat a Philone l. c. 8: *ζωτικώτατον τὸ πνεῦμα, ζωῆς δὲ θεὸς αἴτιος* necne in medio relinquendum esse puto.

Gen. I 3: *Et dixit Deus: fiat lux: et facta est lux.* Quorum verborum sententia a Victore debilitatur, quia hanc efficacissimam sententiam per tria cola primaria distributam: 1) *et dixit deus,* 2) *fiat lux,* 3) *et facta est lux* in unum enuntiatum secundarium convertit: *cum lux inmissa,* sqq. neque ordinem rerum versibus 56 et 57 servavit.

Gen. I 4: *Et discrevit inter lucem et tenebras et vidit Deus lucem quia bona est.* Contra lectio Vulg.: *Et vidit Deus lucem quod esset bona: et divisit lucem a tenebris.*

Quae verba Victor interpretatur al. I 57 sqq.:

. . . . . . discretaque nigrum
Umbra peplum retrahens summo discessit Olympo
Et medias † subiecit aquas fugiensque sequentis
Mox pos terga fuit (v. 60).

Sed priusquam has res porro tractemus, quaestio oritur quomodo locus Victoris exscriptus sanandus sit. Atque Schenkelius quidem coniecturam Petschenigi „obiecit aquas“ in textum recepit contra auctoritatem Parisini codicis qui lectionem „subiecit“ praebet. Sed qua ratione ipsa verba: „umbra medias subiecit aquas“ intellegi possint videamus. Haec autem verba nihil aliud, ut mihi quidem

videtur, significare volunt quam vices dierum et noctium. Revera enim res ita se habet, ut nox cum aquas fugerit (*fugiensque sequentis* v. 59) rursus „pos terga“ aquarum sit. Inde factum est, ut tenebrae „intercisae“ sint (v. 62). Denique *subiecit aquas* interpretor: sibi subiecit. Sed unde haec verba fluxerint, cum locum similem apud Ambrosium non legamus, minime erui potest.

Verba quae biblia sacra praebent quotiescunque expositio uniuscuiusque diei ad finem perducta est: *Et vidit Deus quod esset bonum* de industria a Victore omissa sunt, qui quidquid ad rem illustrandam supervacaneum esse arbitrabatur proferre noluerit.

Gen. I 5: *Et vocavit Deus lucem diem et tenebras vocavit noctem. Et factum est vespere et factum est mane dies unus.* Lectio Vulg: *Appellavitque lucem diem et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies unus.*

Haec verba sacrae scripturae Victor versibus 60 sqq. interpretatur:

. . . . nomen sic meta diei
imposuit lucis spatiis mundoque refusam
noctem intercisae parilem fecere tenebrae.

Mirum sane in modum dictum est *meta* (v. 60), ut subiectum sit enuntiati: meta nomen diei imposuit. Cavendum certe est ne *meta* cum genitivo *diei* coniungatur. Atque verba sacri textus: *factum est vespere et mane dies unus* redduntur v. 63: *Rursum mane novum, primo iam vespere pulso.* Contra expectationem autem forma „primo“ hoc loco usurpata est a poeta contra exemplum Ambrosii qui de die primo creationis hex. I 10: *cur dies vocatur unus, non autem primus* magna cum diligentia disserit. Eadem de re legitur etiam hex. II 1. 2: . . . *dies unus, non conferendus cum ceteris tamquam dies primus est.*

Praeterea autem post verba: *Rursum mane novum:* Duplicis puncti interductus quem dedit Schenkl modum excedit distinguendi. Constructio enim huius enuntiati eiusmodi est, ut duo subiecta *mane novum* et *reddita*

lux se applicent ad praedicatum *nituit.* Quo posito sequitur ut interpunctionem a Schenkelio adhibitam nimis gravem esse censeam atque loco allato comma vel adeo nullam notam ponendam esse sustineam.

Ea autem quae insuper in primo libro hexaëmeri congruentia cum Victoris verbis indagavi nunc subiciam. Conferenda autem puto:

al. I 200 sq: . . . qui mundum atque omnia raptim Imperio explicuit dumque imperat esse peregit.

hex. I 4. 16: Auctorem . . . cum qui momento imperii sui hanc tantam pulcritudinem mundi ex nihilo fecit esse quae non erat; et hex. I 9. 33: Non ideo dixit, ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium.

al. I 219 sq: sic totum forma futuri est Quod prius est genitum.

hex. I 4. 13: Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent.

A versu 62 Victor opus primi diei ad exitum perducit. Quae per secundum diem a Deo conformata sunt, versibus 63—84 tractantur. Eo autem die firmamentum factum est.

Gen. I 6: *Et dixit Deus: Fiat firmamentum inter mediam aquam et sit discernens inter aquam et aquam; et factum est sic.* Lectio Vulg: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis.*

Haec verba interpretatur Victor versibus 64 sqq. Vocabulum *firmamentum* a Victore nusquam usurpatum est. Contra pro eo verba in usum vocavit exquisita in versu 64 *firmissima moles*; item pro verbis „in medio aquarum“ *fluctibus a mediis;* denique vox *solidata* al I 66, quae ad verba *firmissima moles* pertinet, ex Ambrosio hex. II 2. 4: *solidatum est firmamentum* petitum est.

Gen. I 7: *Et discrevit Deus inter medium aquae quae erat sub firmamento et inter medium aquae quae erat super firmamentum.* Lectio Vulg: *Et fecit Deus . . . divisitque*

aquas quae erant sub firmamento ab his quae erant super firmamentum. Et factum est ita.

Redduntur haec verba textus sacri a Victore versibus al. I 68 sqq. Verba lectionis Vulgatae: *divisit aquas* Victor interpretatur v. 68: *divisas supendit aquas.* Simile etiam Ambrosius dixit hex. III 1. 2: *se unda divisit.* Sed hac in parte conficienda alia quoque ex Ambrosio accita sunt. Velut de verbis al. I 68 sq.: *gelidum profundum axibus obiecit calidis* per Ambrosium docemur quam in sententiam accipienda sint hex. II 3. 12: *divina providentia . . . prospexit, ut . . . aqua supra orbem ferventis axis incendia temperaret . . . aqua in terris, ne eas . . . ardor exureret.* Fortasse huc spectant etiam verba hex. III 1. 5: *caelum . . . extentum, ut inhabitantes in hoc mundo tegat.*

Sententiam vero si ponderas Alethias verba non quadrant in scripturam sacram: *vocavitque Deus firmamentum caelum.* Pro his verbis a poeta hunc in modum dictum est: Discretione perfecta superior firma pars „antiquum spoliavit nomine caelum“ (v. 70), quod nobis ita est intellegendum, ut prima ab origine nihil fuerit nisi caelum, nunc vero superior pars mundi solummodo hoc caeli nomine affecta sit. Itaque firmamentum convexa caeli factum est. Ceterum interpunctio a Schenkelio hic neglecta ita sananda est videlicet, ut post formam *clausit* comma collocetur.

Iam vero etiam in hac parte ex aliis auctoribus Victorem nonnulla deprompsisse certis demonstratur argumentis. Ac primus utique vocandus est Ambrosius qui plenius de illa re disseruit hex. II 2. 5: *quid sit frimamentum . . . et si duo coeli an plures.* Adde quod Augustinus de eadem re verba fecit de civ. Dei XII 20: *Nam caelum Deus vocavit firmamentum, super quod sunt aquae . . . profundissima quaestio est . . . ne in tanta obscuritate rerum adfirmare temere aliquid audeamus.* Denique silentio nolo praeterire Theophilum qui l. c. II 13 haec protulit: *Τῇ μὲν οὖν πρώτῃ ὑποθέσει τῆς ἱστορίας καὶ γενέ-*

σεως τοῦ κόσμου εἴρηκεν ἡ ἁγία γραφὴ οὐ περὶ τούτου τοι στερεώματος, ἀλλὰ περὶ ἑτέρου οὐρανοῦ τοῦ ἀοράτου ἡμῖν ὄντος, μεθ' ὃν οὗτος ὁ ὁρατὸς ἡμῖν οὐρανὸς κέκληται στερέωμα.

Quibus rebus expositis ad versuum 71—85 excursum amplioris ambitus quaestio progreditur. Versibus 71 sqq. docemur qua de causa caelum tam longe a nobis absit, cur terra sit firma et supra summam terram cur aquae morentur; nimirum haec sic esse constituta ut homini et in terra vivendi et victum sibi comparandi facultas offeratur. Neque enim fieri potuit ut homines in terra viverent nisi naturae vires coercerentur. Simile docuerat iam Plinius N. H. 13 (21) verbis: *ad solem . . . et spatio fieri ut tam immensa eius magnitudo non exurat terras.*

Dubitatio autem moveri potest, cur aqua super firmamentum fuerit, quae verba sacrae scripturae „super firmamentum" Victor reddidit al. I 77: *velatur aquis* (cfr. Ambr. hex. III 2. 7: *sublato velamine*). Eandem vero quaestionem et ipse Ambrosius nobis proposuit hex. II 3. 9 induxitque qui dicerent: *quia aqua super coelos esse non possit . . . et in illo circuitu aquam stare non posse.* Quaerentibus ita hominibus respondit Victor versibus al. I 79 sq. quibus Deum quidvis efficere posse docemur. Neque aliter sensit Ambrosius verba faciens hex. II 3. 9: *desinant tantum opus Dei humanae operationis et nostrae possibilitatis contemplatione metiri* et hex. II 3. 10: *Facit Filius quasi potens, facit quasi virtus Dei, facit quasi sapientia Dei, facit quasi iustitia divina. Cum haec audis, quid miraris si supra firmamentum caeli potuit tantae maiestatis operatione unda suspendi?* His verbis omnes Dei virtutes praedicantur. Sed cur haec res ita se habeat, nobis non est quaerendum quod verbis redditum est Horatianis (carm. I 9. 13): *tales sed quaerere causas Mens fuge nostra procul* (al. I 77 sq.). Nec secus iudicavit Ambrosius verba scribens hex. I 6. 22: *ego non queo comprehendere* et ib. I 6. 24: *nec argumentationis astutia, sed fides mentis.*

Versibus 81—84 haud facilis diiudicatu disquisitio nobis excutienda est. v. 81 sqq.:

ipsorum ratione proba, qui credere nolunt
et mundum pendere volunt, quem conditor ipse
inconprensibili semper ratione gubernans

ex quibus versibus non certo potest colligi quinam homines ‚ipsi' in verbis „ipsorum ratione proba" intellegendi sint qui credere nolebant. Sed enim qui „ipsi" fuerint rursus ex Ambrosio satis explanatur hex. I 8: *quia mundus opus Verbi Dei et Spiritus Sancti*; *unde contrarium Gnosticorum et Manichaeorum improbandum commentum.* Igitur haeretici qui credere nolebant intellegendi sunt Gnostici et Manichaei quorum imprimis illi in doctrina praeceptisque de creatione mundi cum bibliis sacris non consonabant. In eosdem haereticos similis doctrinae participes iam Minucius Felix apologeta invectus est verbis Octav. 17. 3: *mihi videntur qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohaerentibus conglobatum mentem sensum oculos deniqe ipsos non habere.*

Sed in tota hac parte illustranda ratio qua Victoris sententiae inter se excipiunt ea est, ut putet rem ad artem eorum hominum esse revocandam qui ratione confisi mundum in universo pendere et „conditorem ipsum inconprensibili ratione gestare" dicebant. Quae sententia satis plana fit si verba comparamus Ambrosii hex. I 6. 22: *suspendit terram in nihilo.* Sed quem ad modum fieri potest ut terra in aere pendeat? Quam sententiam ad melius intellegendam conferantur Ambrosii verba eodem loco posita: *Deus omnia maiestate sua consistere in numero pondere atque mensura . . . et voluntate Dei movetur et nutat.* Idem autem multo evidentius ex Ambrosii verbis hex. II 3. 11 elucebit: *quo verbo dicunt terram in medio esse suspensam . . . qua ratione possunt dicere non praecipitari aquam . . . sicut enim terra . . . pondere librato undique immobilis perseverat, ita et aqua . . . cum terra ponderibus examinatur.* Atque etiam al. I 83: vox „inconprensibili"

in eundem sensum posita est atque apud Ambrosium hex. II 3. 10: *incomprehensibilis in operibus* et iam prius hex. II. 1. 1.: *incomprehensibilis humanis mentibus.* Conferatur etiam Augustinus de civ. Dei XX 19: *Deus . . . tam inconprehensibili conprehensione omnia inconprehensibilia conprehendit.* Similia autem placita philosophorum apud poetas ethnicos scripta videmus. Inter quos prae ceteris commemorandi sunt Ovidius met. I 13 et Manilius astrom. I. 173 et Claudianus in Ruf. I 11. Nec minus philosophice dictum est „mundum ferri“ quod poetam ex disciplina Stoica mutuatum esse apparet. Atque idem cogitavit Plinius verba faciens N. H. II 69: *Mediam esse terram mundi totius haud dubiis constat argumentis.* Maximeque eo loco de quo agitur idem Victor sensit atque Cleanthes qui hymno in Iovem condito universi orbis terram a summo deo circumvolvi praedicavit. Qui hymnus a Stobaeo servatus eclog. I 30 in versibus 7 sq. Iovem orbis terram rotantem pingit his verbis:

σοὶ δὴ πᾶς ὅδε κόσμος ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν
πείθεται, ᾗ κεν ἄγῃς καὶ ἑκὼν ὑπὸ σεῖο κρατεῖται.

Iam versu al. I 43 eandem sententiam poeta reddiderat: *volucrem . . . circumrotat orbem* et versu 84 cecinit: *immenso constantem* (sc. mundum) *pondere volvat.* Alius poeta christianus Paulinus Nolanus eodem modo cecinit epist. XVI 2: *rotat orbem.* Porro similia leguntur apud Senecam Oedip. 256: *qui tarda celeri saecula evolvis rota* et apud Silium Italicum XII 59: *circumrotat orbem* et apud Avienum Arat. 1042: *circumferat orbem.* In soluta oratione eadem cogitatio reddita est a Seneca N. Q. I 3. 10: *mundum ipsum praecipiti velocitate labentem . . .* et ib. VII 14. 3: *mundum ferri per immensum et cadere* et ab Apuleio de mundo (ed. Goldbacher) 291: *caelum ipsum . . . quod cursibus rapidis semper rotetur* et 338: *mundus . . . cursibus rapidus.*

Verba autem sacrae scripturae Gen. I 8: *Et factum est vespere et mane dies secundus,* quae lectio Vulgata

exhibet, Victor non respexit. Cuius rei causa in eo potissimum posita videtur, quod etiam in sacri textus lectione ea quam Ambrosius exhibet illa ipsa verba omissa sunt.

Denique ad opus huius diei explendum subiungenda videntur haec:

al. I 72 sqq: aetheriis ne desint pabula flammis Et nimius calor ima petens alimenta sequendo Exurat mortale genus.

hex. II 3. 13: respice ad vim coloris ... dubitet quod ignitus aether et magno fervens vapore inflammaret atque exureret omnia, nisi lege quadam sui cohiberetur auctoris ... quod alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit

al. II 419: velle et posse dabat famulo quodcumque. iubebat.

hex. II 3. 11: Sed quid impossibile ei qui dedit posse quibus voluit.

Hinc pergimus ad tertii diei opera explicanda al. I 85—95, quo die terra continens et maria et ea omnia quae a terra stirpibus continentur facta sunt.

Gen. I 9: *Congregetur aqua quae est sub coelo in congregationem unam et appareat arida, et factum est sic.*

Lectio Vulg.: *Dixit vero Deus: Congregentur aquae quae sub coelo sunt in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita.*

Primum videamus rem grammaticam versuum 85 sqq.:

Tertia lux tumidos stupuit discedere fluctus,
cum deus impulsis reliqui iam gurgitis undis
aëriis magnum spatiis patefecit inane.

Quorum verborum nimis obscuratorum constructio haec est: Tertia lux stupuit discedere fluctus, cum deus aeriis spatiis patefecit inane, impulsis reliqui gurgitis undis. Mirum in modum positum est a Victore verbum „*discedere*“, cum scriptura sacra „congregentur aquae“ praebeat. Revera autem haec non discrepant ea de causa quod aqua ubi primum ab altero loco in alterum discessit, alicubi congregatur. Sed qui aliqua cum diligentia verba Ambrosii legerit hex. III 6. 25: *discedente aqua* ver-

bum *discedere* ex hoc loco fluxisse non infitiabitur. Similia leguntur apud Ambrosium hex. III 1. 2: *fugisse fluctus* (al. I 85) et hex. III 2. 8: *Coepit labi aqua et . . . iussa est aqua currere.* Nec minus per se apertum est verba al. I 86: impulsis reliqui iam gurgitis undis ingenio Ambrosiano scripta esse, si respicimus verba hex. III 3. 15: *Potuit etiam ipsa aquarum vis profundiora ea facere tanto fluctuum motu . . . qui quotidie ima pelagi torquere . . . solebat.* Simile etiam legitur hex. III 2. 9: *rapido plerumque impetu in ima descendens, in superiora se subrigat atque in supercilium montis attollat.*

In iis quae sequuntur pro vocabulo *arida* primum verbis *inane* et *aeria spatia* (cfr. hex. III 3. 15: *spatia diffundere*) usus est Victor, ipsum illud *arida* versu demum 88 in usum vocavit. Versus autem 88 sqq. ita construi debent: Arida, tunc primum ima pars mundi, retectam faciem (cfr. hex. III 2. 7: *sublato velamine**) *apparuisse aridam* et forma *retectam* hex. III 3. 13 legitur) ostendit; aequora caerulea tremefacta numine verbi (cfr. bibl. sacra v. 9: dixit vero Deus) nudatas terras cinxerunt.

Ceterum in his verbis iterum a sacra scriptura recessit Victor. Nam eius versus 10 totus fere a poeta omissus est. Atque etiam nomina rerum immutantur ita, ut pro vocabulo *arida* ponatur *terra*, pro *congregationes aquarum* legamus *maria*. Nam Victor tantummodo versu 90 praebet: *caerula aequora et nudatas terras.* Iam qua de causa hoc factum est? Ambrosius semper idem responsum facit qui hex. III 4. 17 de discrimine vocabulorum *arida* et *terra* uberius disseruit. Cuius verba sunt: *Terra potest et luto esse permixta aquis madida, cuius species superfusis aquis non appareat.* Arida *autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum refertur, ut sit . . .* sicca *. . . ne videatur sole magis quam Dei praecepto esse* siccata (cf. al. I 234: *arida tegmine sicco*), *quia arida*

*) cfr. p. 26.

facta est antequam sol crearetur. : . . Arida enim expressio naturae est, terra *appellatio quaedam simplex negotii . . . Remota enim aqua incipit esse* arida.

Gen. I 11: *Germinet terra herbam foeni seminans semen secundum genus et lignum fructiferum faciens fructum secundum genus cuius semen secum ipso.*

Lectio Vulg: Et ait: *Germinet terram herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.*

Haec verba sacri textus Victor commentatur versibus 91—95 quibus qua ratione terra herbis aliisque germinibus vestiatur depingitur. Sed prius textus sanandus est. Lectio enim Schenkelii *virescere* v. 91 offendit quia prima eius syllaba producitur. Verbum autem *virescere* a viribus derivatum si existeret vernacula lingua significaret: Kraft gewinnen, erstarken, cum locus hic de quo agitur *virescere* prima syllaba correpta i. e. „grün werden, zu grünen anfangen" postulet. Codices contra praebent *veriscere* quam scripturam inauditam ideoque corruptam esse omnes concedent. Videamus emendationem. Schenkelius quidem adnotat (praef. p. 355): „foeda sunt virescere I 91, quod coniciendo exstirpari non potest, II 287 pārentibus, quo loco, si se neue scribis, anaphora tollitur." Equidem vero hoc textus vulnus facili coniectura sanari posse arbitror. Namque veri similius est formam „viridescere" iam metri causa a poeta adhibitam esse; quae forma auctoritate non caret. Conferendi sunt Ambrosii hex. VI. 1. 1 et Luc. VII. 16 et Riesei anth. lat. 481. 126 ubi forma syncopata „virdescere" extat. Igitur versus 91 sic restituendus est:

Quas vario raptim iussas viridescere fetu.

Quae lectio eo probabilior fit, cum per Victorem ipsum ad vestigiumAmbrosianum ducamur verbis perpensis al. I 86 spp.: *Deus . . . arida tunc primum . . . numine verbi . . . nudatas terras . . . iussae viridescere* et

Ambrosii hex. V 1. 1: *tunc primum verbo Dei iussa* (sc. terra) *viridescere*. Similiter autem formata sunt verba quae leguntur hex. III 12. 52: *dulcescere* — III 15. 63: *durescere* — III 15. 62: *canescere* — IV 5. 21: *maturescere*.

Sed etiam pluribus Victorem stare in umeris Ambrosii demonstrabitur. Adverbium enim *raptim* quod saepius in Alethia (cfr. I 91. 361, II 531. 547) legitur, admirabili cum breviloquentia positum est pro Ambrosii verbis festinare, properare quae leguntur hex. III 16. 65: *Festinaverunt campi non commissam sibi frugem edere . . . properaverunt arbores cito surgere, cito se in florem induere, victum hominibus, pecori pabulum ministrare . . . ea a principio creator . . . maiestate de sinu terrarum iussit exire*. Et alii loci Ambrosii hic in comparationem vocari possunt, velut hex. III 8. 34: *Miramur quod tam cito generavit* et hex. III 10. 45: *Et subito terrarum germina* (cfr. al. I 92) *pullulaverunt*. Porro Victoris verba al. I 90 sq: „terras . . . iussas“ leguntur apud Ambrosium hex. III 9. 42: *terras . . . iussit* et loco iam supra allato hex. III 16. 65: *iussit exire*. Atque etiam comparanda sunt verba al. I 91 sq: *vario . . . fetu . . . novo texerunt limo* et Ambrosii hex. III 8. 34: *et continuo parturiens terra novos se fudit in partus . . . diversis comta germinibus* et hex. III 17. 10: *statim omni surgente germine* (cfr. al. I 264: semine surgens) *terra completa est*. Porro conferantur verba Victoris al. I 93: *e tenero . . . caespite* et Ambrosii hex. III 8. 34: *tenera . . . primordia* et hex. III 14. 59: *teneri fructus*. *Prorumpere* (al. I 83) invenitur apud Ambrosium et verbum finitum hex. III 2. 9 et 8. 33 *prorumpit* et infinitivus hex. III 12. 49. Nec minus verba al. I 94: *iactavit se silva comis* iam in Ambrosii hexaëmero obtinent locum, si respicimus hex. III 11. 47: *nemoribus terra vestita est. Concurrerunt arbores, consurrexere silvae* et hex. III 16. 66: *arborum silva . . . sui nemoris propagarunt*. Atque ipsum vocabulum *coma* legitur apud Ambrosium hex. III 11. 47 et 13. 55: *comam*.

Praeterea ad hanc partem adnotandum video apud Victorem post voculam *ipsis* (I 94) comma in punctum mutandum, contra post *semen* interpunctionem prorsus esse delendam. Verba autem sacrae scripturae „iuxta genus suum“ (v. 11) a Victore non neglecta, sed in significatione pronominis *ipsis in frugibus* (cfr. hex. III 10. 44: *frugibus*) posita sunt. Contra hic ex suo addidit poeta verba al. I 95: *testata satorem est*, cum idem versum Gen. I 13 aeque atque antea Gen. I 8 silentio praeterierit inductus exemplo Ambrosii qui haec verba bibliorum sacrorum non respexit.

Adde quas sententias et elocutiones tertii Victoris libri indagavi cum hexaëmero congruentes:

al. prec. 118: sensumque animis dedisti

hex. III 1. 1: homines . . . quibus sensus ab ipso tributus auctore est.

al. I 196: quos facit ipse manu

hex. III 7. 32: Manibus suis te ille formavit . . .
Et eundem sensum deprehendas:

hex. VI 9. 69: Manus est quae fecit omnia, sicut Deus dixit omnipotens: Nonne manus mea fecit haec?

al. I 254: Nil vacat aut vanam species tenet ulla figuram

hex. III 9. 39: Nihil vacat, nihil inane germinat terra...
et hex. III 8. 35: nihil terra delinquit.

al. III 67: reddit multiplicem cumulato foenore messem

hex. III 8. 34: ut . . . frugem possit multiplicem sustinere . . . et ib. 35: foeneratum terra restituit quod accepit et usurarum cumulo multiplicatum.

„Iam tribus exactis“ his tandem verbis ad quarti diei descriptionem transitur. Cuius diei opera versibus al. I 96—113 enarrantur. Ac primum quidem de structura versuum 96 sqq. disceptandum est. Sunt autem hi:

Iam tribus exactis motu succensa citato
in flammas ignisque globum se cogere iussa est

solis prima dies; fundataque semina lucis
puniceos roseo sparserunt fomite crines,
lunaque, noctis honor, proprio seu lumine fulsit
seu veniente globo radios percussa refudit,
inferiore via soli subiecta pependit
astraque distinctis mundum pingentia zonis
floribus aetheriis varios vibrare colores
et magis ornatis caelum splendere tenebris
caerula nox stupuit, rutilis dum spicula flammis
fusa micant urguentque alacres nova sidera iactus.
quae iubar obducit radiis lucisque profundae
quadam nocte tegit signataque limite certo
tempora dissiciens, certa statione peracta
praecipitisque poli numerosa † vice redire,
ire semel iussus, revolutum conficit annum
artificemque sacrum mira compage fatetur.

Structura haec est: Iam tribus diebus exactis ea dies quae „solis prima" est motu succensa citato se cogere iussa est in flammas et in ignis globum; fundata lucis semina puniceos crines roseo fomite sparserunt . . (v. 103); et caerula nox stupuit (v. 106) astra mundum pingentia distinctis zonis floribus aetheriis colores vibrare (v. 104) et caelum magis splendere ornatis tenebris, dum spicula micant rutilis flammis fusa novaque sidera alacres iactus urguent (v. 108). *iubar* autem (v. 108 *iubar* est sol, quod vocabulum subiectum enuntiati est, pronomen vero relativum „quae" ad obiectum *nova sidera* pertinet) nova illa sidera radiis obducit eaque nocte quadam profundae lucis tegit. Atque idem iubar signata tempora (v. 109 sq.) dissiciens revolutum annum conficit.

Itaque traditam lectionem *iussus* pro Schenkelii scriptura „iussum" reponendam esse puto, praesertim cum haud raro a poetis substantivo *iubar* masculinum genus vindicetur. Modo conferantur loci hi: Ennius annal. 547: *iubar albus*; Aetna 334: *iubar aureus*; Poeta incertus

ap. Auct. de gen. nom. p. 83. 11 ed. Haupt: *iubar splendidus.*

Gen. I 14: *Et dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli ad illuminationem super terram, quae discernant inter diem et noctem et sint in signa et in tempora et in dies et in annos.*

Lectio Vulg: *Dixit autem Deus: Fiant . . . et dividant diem ac noctem . . .* (Versus Gen. I 15—19 ab Ambrosio ad opus quarti diei illustrandum non citantur).

Iam ad haec quoque accedamus percensenda. Silentio autem praeteream quod ordo rerum in sacra scriptura narratarum non est observatus a Victore, qui quae initio huius capitis in bibliis sacris nobis occurrunt sub finem perscripsit. Verba al. I 96 sqq: *iam tribus exactis . . . solis prima dies* ex Ambrosio petita esse nemo negabit, qui verba scripturae sacrae ita interpretatur ut dicat hex. IV 1. 1: *Primum iam diem sine sole transivimus: secundum sine sole transegimus: tertium sine sole confecimus: quarto die iubet Deus fieri luminaria solem et lunam et stellas . . . Tres dies transacti sunt et solem nemo quaesivit.* Praeter formas „transegimus" et „transacti sunt" etiam forma *tribus* legitur hex. IV 2. 5. Atque etiam verba Ambrosii hex. IV 4. 16: *quod concito motu ferantur . . . celeri motu* et hex. IV 1. 1: *rapidis cursibus* Victor in suum usum vertit verbis al. I 96: *motu succensa citato.* Simile iam tertio libro de aquis protulit Ambrosius hex. III 3. 15: *tanto fluctuum motu tantoque aestu concitatioris elementi.*

Iam tres dies praetermissi erant, iam lux facta, iam caelum conditum et terra creata erat, cum quarto demum die sol ortus est, quod Victor reddidit versibus I 97 sq: *solis prima dies iussa est in flammas ignisque globum se cogere.* Sed hic interpunctionem ita mutandam esse puto, ut post substantivum *dies* (I 98) semicolon ponatur; igitur legendum est: *solis prima dies; fundataque* eqs. Ad vocabulum autem *dies* numerale *quarta* animo supplendum est, quod iam factum est ab Ambrosio hex. IV 1. 1: *quarto*

die. Porro al. I 98: *fundataque semina lucis* (cfr. hex. IV 1. 3: *fundata*) *puniceos sparserunt crines* (cfr. hex. IV 7. 29: *crines*) his, inquam, verbis nova doctrina de solis natura non proposita est. Sed cur quarto demum die sol ortus sit non immerito roget quispiam. Respondetur et a Victore al. I 96: *iam tribus exactis* et ab Ambrosio hex. IV 1. 3: *praevidit altitudo sapientiae et scientiae Dei, ut prius inciperent ligna esse quam illa duo mundi luminaria . . . ut cognoscerent . . . terram sine sole posse esse foecundam? Nam quae potuit sine sole prima rerum semina germinare, potest utique semina accepta nutrire et proprio fotu sine calore solis partus edere* . . . et hex. IV 2. 6: *Non ergo sol aut luna foecunditatis auctores sunt.* Quae verba adversus solem colentes scripta esse per se apparet.

Iam antiquissimis temporibus aeque ac recentiore aetate in laudem solis ac lunae carmina fuderunt poetae. Satis habeo carmen in laudem solis compositum memorassse quod extat apud Baehrensium IV p. 434 sqq. Atque profecto, huic carmini multa insunt quae magnam cognationem cum Victoris Alethia prae se ferant ita ut vix mihi temperem quin Victori illud carmen non ignotum fuisse existimem.

Versu 100 sqq. poeta ad lunam progreditur illustrandam. Ac primum quaerit utrum proprio splendeat lumine an aliunde acceperit.

Qua in re nonnullas existere congruentias apud Victorem et Ambrosium adnotandum est. Scriptum enim videmus al. I 100: *luna, noctis honor,* cuius simile eodem sensu extat apud Ambrosium hex. IV 2. 5: *luna et stellae quae factae sunt in potestatem noctis* et ib. IV 2. 7: *quia fecit Deus . . . lunam in potestatem noctis.* Illud vero quod est „inferiore via“ al. I 102 iam apud Ciceronem habet cui respondeat de re publ. VI 17: *in infimo orbe luna radiis solis accensa.*

Pergamus vero. Etiam al. I 103 sqq. non suis solis viribus Victor usus est. Nox enim stellis earumque floribus

obstupefacta dicitur; nec minus stupore corripitur quod mundus cingulis pictus est et tempora in signa annos menses divisa sunt. Qua in omni parte interpretanda Victorem pendere ab Ambrosio facile intelligitur verbis collatis hex. IV 2. 5: *noctis illuminentur tenebrae per lunae stellarumque fulgorem, coelum velut quibusdam coronatum* (cfr. al. I 105) *floribus* (cfr. al. I 104 et 106 *spicula* et hex. V 21. 69) *ita ignitis luminaribus micet* (cfr. al. I 107) *ut paradiso putes vernante depictum* (cf. al. I 103 et III 234 sq.) *spirantium rosarum vivis monilibus* (cfr. al. I. 103, sed aliter hex. III 5. 23) *renidere.* Porro in comparationem possunt vocari verba al. I 108: *iubar obducit radiis* et hex. IV 1. 1: *obducat . . . procedit sol magno iubare diem . . .* atque etiam al. I 110 sq. *tempora . . . numerosa vice redire* et hex. IV 5. 21: *tempora . . . nisi mutationum vices* . . . et hex. IV 5. 24: *luna per trecentos dies duodenis vicibus suum cursum conficiens consummat annum . . .* quae verba Victor reddidit al. I 110: *certa statione* (cfr. hex. III 16. 66) *peracta* (v. 112) *revolutum conficit annum.* Atque eadem fere verba iam Cicero fecit de nat. deor. I 31. 87: *sol . . . definiens motum cursus annuos conficit.* Itaque ne quis mihi corruptum putet illud *vice* al. I 111; nam Ambrosianis locis aequalibus defenditur.

Ex his quae attuli satis colligitur has omnes res Ambrosio auctore carmini suo intexuisse Victorem. Nec diligentius de causis earum disquisivit, sed in universum satis habuit has omnes tantummodo movisse quaestiones, velut al. I 100 sqq. Quod ei opprobrio vertendum non puto. Namque primum verus philosophus atque physicus fuisse non videtur Victor, deinde poetae non fuit has quaestiones philosophice tractare; itaque tantum egit quantum rhetorem decuit christianum qui hoc sibi proposuerat ut „teneros animos ad verum virtutis iter" formaret.

A versu 114 ad quinti diei opus procedit poeta enarrandum. Quo die maiora maris animalia et aves et pisces procreantur.

Gen. I 20: *Et dixit Deus: producant aquae reptilia animarum viventium secundum genus, et volatilia volantia super terram secus firmamentum coeli secundum genus.* Lect. Vulg: *Dixit etiam Deus: producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento coeli.*

Has quoque res per singula cum textu sacro comparantibus nobis nonnulla offeruntur quae a poeta ipso carmini inserta sint. Et ad verba quidem v. 117 „natura quae iussa est creare“ sacri libri interpretatio eum adduxit. Quod cur scripserit explicatur collato al. I 196, ubi pronomen *ipse* positum videmus. Per se enim perspicuum esse videtur hoc pronomen vocabulo *natura* (I 117) oppositum esse. Namque natura animalia gignere „iubetur“, ipse (sc. Deus) „facit manu“ hominem. Veri autem similius est Victorem per Ambrosium ut haec verba scriberet adductum esse. Legimus enim hex. IV 1. 2: *nihil natura deliquit;* et iam hex. III 8. 35: *nihil terra delinquit.* Atque verbum finitum eiusdem Ambrosii capitis (IV 1. 2.) *formaverat* etiam a Victore usurpatum est al. I 117: *formavit.* Porro versu al. I 117 scripta videmus verba: *delicias pelagi;* idem invenitur apud Ambrosium eodem loco: *ante hominem deliciae;* forma *delicias* legitur hex. V 21. 68. Porro legas apud Victorem verba al. II 43: *vae mihi* et apud Ambrosium l. c.: *Vae mihi!* Nec minus *profundis* et al. I 115 et 129: *profundo.* Atque hoc loco non queo praetermittere quae extant al. I 116 sq: *vario . . . germine miris formavit natura modis* quae spectant ad Ambrosii haec hex V 2. 5: *Numera, si potes, omnia piscium genera.*

In iis vero quae sequuntur al. I 120 sqq. animalia in mari parta uberius pleniusque depinguntur: quorum scilicet terga ex summa aqua extant neque iis quorum corpora ad saginandum utilia se exhibent mollis sagina deesse dicitur iisque vita modum solitum esse excessura nisi terminus aevi praescriberetur. Quae rursus cum Ambrosii verbis congruunt. Namque hic hex V 1. 4 disse-

ruit: *reptilia* (cfr. pisces) . . . *repunt toto corpore quod trahunt* (cfr. al. I 126) *super quaedam dorsa aquarum,* quae verba ille reddidit al I 120 sq: *gurgite terga levent.* Quin etiam hex. V 12. 37 verba a Victore ipso adhibita *de gurgite levamus* scripta videmus. Nec non in versu 123 componendo alieno vitulo aravisse videtur poeta. Imitatio enim in verbis „liquor genitalis“ posita tectissima et brevissima est. Iam supra al. I 53 sqq. vidimus spiritum super terras ferri, ut eas alat et foveat. Idem vero cogitatum occurrit apud eundem ut solet Ambrosium hex. V 1. 2: *genitales paludes* et hex. V 3. 7: *genitali feruntur alvo abscondere* et hex. V 4. 10: . . . *bona* . . . *mater sit aqua* . . . *vivere pisces sine aqua non queunt* . . . *quod nobis est spiritus, illis est aqua* . . . *sicut nobis spiritus, ita illis aqua vivendi ministrat substantiam.* Ceterum huc spectant etiam Theophili verba II 13: *πνεῦμα δὲ τὸ ἐπιφερόμενον ἐπάνω τοῦ ὕδατος ὃ ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς ζωογόνησιν τῇ κτίσει, καθάπερ ἀνθρώπῳ ψυχήν* . . . *ὅπως τὸ μὲν πνεῦμα τρέφῃ τὸ ὕδωρ, τὸ δὲ ὕδωρ σὺν τῷ πνεύματι τρέφῃ τὴν κτίσιν διϊκνούμενον πανταχόσε* . . . et Senecae N. Q. V 5. 2: *est aliquid in aqua vitale.*

Sed ad Moysen comparandum revertamur. Nam in ea quoque re discrimen positum est quod a Victore tantummodo animalia aquarum Dei favore afficiuntur dicentis Gen. I 22: *Crescite et multiplicamini et replete aquas maris.* Idem tamen Deus eodem Genesis loco ad aves haec verba dixit: *avesque multiplicentur super terram,* quod in interpretatione Victoris intercidit.

Maioribus aquae animalibus creatis aves gignuntur earumque omnis natura cohaeret et coniuncta est cum piscibus. Namque, ut dicit Victor, „terrae germen alit liquor dissolvitque membra qui (lectionem *qui* cum Birtio praeferendam puto lectioni Schenkelii *quae*) plus extenderat humor“; scilicet „umor qui plus extenderat, dissolvit.“ Qua ex re volucres originem duxerunt haud ita multo postquam pisces parti sunt. Iam vero ad versum al. I 126

adnotandum est Victoris verba: *hinc volucres traxere vigorem* directam relationem habere ad Ambrosii verba hex. V 1. 1: *aqua iubetur producere quae viventis animae* (cfr. Lect. Vulg. Gen. I 20) *vigorem . . . praeferrent* et hex. V. 13. 43: *consideremus diversas volucres maris*. Neque immerito ex versibus 130 sqq. coniectare licet aves ex piscibus ortas visas esse quandoquidem poeta cecinit: „Squamea turba dum surgit summas in undas, sensim natat aëre quae volitavit aquis". Nam al. I 131 pro Schenkelii scriptura *volitabat* Birtio duce lego *volitavit*. Codex enim praebet *volitabit* vitiose. Litteras autem b et v saepissime a librariis mutatas esse et notum est et ex ipsa pronuntiatione apparet. Iam vero etiam ad has res illustrandas poeta usus est aliis auctoribus. Ac ne quis miretur si omnia quae ibi de origine et natura piscium dicta sunt in Ambrosii verborum textus sacri interpretatione reperiri contendam, conferat tantummodo verba eius hex. V 14. 45: *Post descriptionem piscium de iis avibus quae assuetae sunt aquis sermo successit: quia et ipsae similiter usu natandi et munere delectantur. Unde prima cognatio videtur avibus istis esse cum piscibus; quoniam natandi communia quaedam videntur utrique generi esse consortia. Secunda quoque cognatio omnibus avibus et piscibus est: eo quod volantis usus species sit natantis. Sicut enim aquam natando piscis incidit, ita avis aerem volatu celeri secat* (cfr. al. I 298: *celeri secat*). Item sub finem huius paragraphi leguntur verba: *quia de aquis genus utrumque producitur, natandi proprietas utrique suppeditat* (— variat lectio: Maur. et Cod. c. *utrisque*). Ceterum si placet conferatur etiam Philo l. c. 20; conferatur etiam Plato Tim. 92 A; inter Romanos vero, si vacat, Claudianus in Ruf. II 488 sqq.

Post pisces genitos ad originem avium sermo progreditur, sed paucis res absolvitur a Victore. Quo loco aves propinquas existimari piscibus iam supra dictum est. Idem cognoscitur ex verbis a Philone usurpatis l. c. 20: *εὐθὺς δὲ καὶ τὰ γένη τῶν πτηνῶν ἐδημιούργει ὡς*

ἀδελφὰ τῶν καθ' ὕδατος — ἑκάτερα γὰρ νηκτά — μηδεμίαν ἰδέαν τῶν ἀεροπόρων ἀτελῆ καταλιπών. Similia dedit Theophilus II 16 sine ulla dubitatione secutus vestigia Philonea: *ἐκ μιᾶς φύσεως ὄντα τὰ ἔνυδρα καὶ τὰ πετεινά.* Verbum autem *νήχειν* sive forma medii usitatior *νήχεσθαι* significat etiam *μετέωρον νήχεσθαι.* Et Romanos ipsos verbum nandi ad volatum transtulisse declaratur locis Verg. georg. IV 59 et Colum. II 15. Contrariam sententiam praebet locus Vergilii aen. III 124: volare pelago (cfr. Muell. p. 237 sqq.). Denique in tota hac parte conficienda Victorem non in suis, sed maxime Ambrosii viribus stare, fortasse etiam Philonis Theophilique, argumentis allatis comprobatum esse arbitror. Tamen fatendum est imitationem Philoneam, si omnino existat, non aperte sed tectissime adhibitam esse. Cuius rei causa mihi ea praecipue videtur esse, quod Philo non in omnibus rebus cum bibliis sacris fecit, sed hic illic suam ingressus est viam.

Praeterea conferenda puto:

al. I 352 sqq: instruxit genitor, diverso munere donans, Armavitque manu cornu pede dente veneno Atque aliis...

hex. V 4. 46: pedum munere fulciuntur . . . aliae volucres unguibus armantur ad raptum . . . aliae vel ad incedendum vel ad cibum sibi parandum usu ministerioque utuntur accommodo.

A versu 134 Victor ad opus diei sexti et postremi convertitur perlustrandum. Quo die postquam maiora terrae animalia facta sunt, ad postremum homo ipse conditus est.

Gen. I 24: *Producat terra animam viventem secundum genus, quadrupedes et serpentes et bestias terrae secundum genus et omnia repentia terrae ad genus.*

Lectio. Vulg.: *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo; iumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita.*

Verba autem bibliorum sacrorum quae ad hunc diem pertinent Victor interpretatur versibus 134—166. Ac primo

quidem obtutu animadvertimus hanc partem operis multo latius patere quam dies superiores omnes et in textu sacro et in Victoris carmine. Sed huic rei haud ita multum tribuendum esse puto. Videamus singula. Nam hic quoque nonnulla interposita sunt a poeta quae non leguntur in scriptura sacra. Et primum quidem dies sextus al. I 135 nominatur „tertia post calidi genitalia munera solis.“ Neque iniuria id dictum est, nam res vere ita se habet. Cum enim probe sciamus per solis calorem omnia quae videmus effecta esse cumque tertio demum mundi aedificati die sol ortus sit, ea de causa sextus dies post solem factum appellatur tertius. Verba autem bibliorum sacrorum Gen. I 24: „Dixit quoque Deus“ et ib. I 26: „et ait“ a Victore gravius expressa sunt: *iussit Deus* al. I 137 et *mandante deo* al. I 148. Neque non cum versu al. I 137 sq. conferendus Ambrosius hex. VI 1. 1: *maiore curarum accrescit fenore* et Cic. de nat. deor. II 9. 24. *Omne animal sive terra editum*. Item ad versus al. I 139 sq: *cui servire datum* pertinent verba Ambrosii hex. VI 6. 36: *serviunt homini* et ad verba al. I 140: *prorumpunt* . . . *vitalia* spectant hex. VI 4. 21: *vitalia* et hex. VI 4. 26: *prorumpere*. Ciceronis vero verba l. c. II 15. 41 et 47. 21: „Omnia . . . in suo quaeque genere“ conferri possunt cum Victoris verbis I 141: *Pignora* (cfr. hex. VI 4. 22) *quaeque sui generis sortita figuras*. Quae verba biblia sacra praebent Gen. 1 24: *secundum genus* et 25: *ad genus*, contra Lectio Vulg. Gen. I 24: *secundum species suas* et 25: *in genere suo*.

Aliud discrimen in ea re invenitur quod sacra scriptura animalia sexti diei per genera enumerat, Victor in universum tantum al. I. 137 *maiora agitans deus* significare satis habet. Eodem loco, sicut iam antea, praetermissa sunt verba textus sacri: Et vidit deus quod esset bonum (cfr. lect. Vulg. Gen. I 25) et ib. Gen. I 31: viditque deus cuncta quae fecerat; et erant valde bona.

Ut vero intellegas Victorem in hac quoque parte interpretanda omnino ex Ambrosio pendere, afferam quae ille

scribit hex. VI 3. 9: *Currit enim in constitutione mundi per omnem creaturam Dei verbum* (cfr. al. I 137: iussit Deus); *ut subito de terris* (cfr. al. I 140: nec mora . . . terris) *omnia quae statuit Deus animantium genera producantur et in futurum lege praescripta* (cfr. al. III 36 sqq: animantum hoc legis . . . praescriptis) *secundum genus sibi similitudinemque universa succedant* (cfr. al I 141: sui generis). Sed *fetis* vocabulum apud Victorem I 140 unde originem traxit? Ex Victoris penu fluxisse mihi persuasi, cum apud alios auctores quos sequi ille solet simile nusquam legerim.

Sic tandem rerum natura atque ea omnia quae videmus a Deo facta erant. Solus in lucem editus non erat homo. Itaque Deus dixit Gen. I 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Namque omnia quae aedificata sunt parvi sunt ponderis, cum „spectator“ desit et „dominus quem propter cuncta paravit“, al. I 142. Perbene et hic verba Ambrosii de Noe et arca X 33 conferuntur quae sunt: *propter hominem generata sunt animalia . . . propter quem facta sunt.* Atque etiam ad versus al. I 161 sqq. consilium ex aliis auctoribus petivisse Victorem facile intellegimus, etiamsi aliis neglectis Ambrosii tantummodo verba hex. VI 7. 51 comparamus. Ubi sunt haec: *Sed quid sit imago Dei? Ipse est imago Dei qui semper est et erat in principio.* Et quae Ambrosius ibi toto capite (41) de Dei imagine disseruit ea omnia etiam in Victoris versus al. prec. 14 sqq. quadrare quis est quin perspiciat? Porro Ambrosius se praebuit fontem Victori scribenti al. I 126: *liber ad arbitrium . . . mente*; ille enim haec hex. VI 8. 45: *anima nostra quae libera est . . . quae considerando spectat omnia . . . Ea igitur est ad imaginem Dei quae non corpore aestimatur, sed mentis vigore; quae absentes videt . . . visu obit . . . per totius orbis fines et mundi secreta circumfert . . . libera versatur in coelo.* Quod illustre exemplum esse imitationis Marianeae etiam magis cognoscitur, si verba Victoris legimus al. II 44 sqq: *et celeres animos visu super astra daretur posse sequi, late circum*

omnia fusum semper . . . visus . . . mentis erant arcana tuentes . . . quamvis mens melior per totum libera ferri fugerit. Praeclara exempla indubitatae imitationis proponere possum etiam plura. Versu enim al. I 163 sq: *seu corpore toto sive anima ac specie* quaeritur, utrum Dei similitudo modo corpus an mentem solummodo respiciat. Qua de re ab Ambrosio item disputatum est hex. VI 7. 42: *Nos sumus hoc est anima et mens: nostra sunt corporis membra et sensus eius . . . te ipsum scito hoc est . . . sed qualem animam ac mentem* ... et hex. VI 7. 43: *anima igitur nostra ad imaginem Dei est. In hac totus es homo . . . corpus autem ad speciem terrarum* et hex. VI 8. 46: *quia igitur cognovimus animam esse ad imaginem Dei . . .* et sub finem eiusdem paragraphi: *Utrum igitur secundum corpus an secundum animam . . . dubitare non potes . . . mentis utique non corporis.* Quibus verbis Ambrosium hanc quaestionem ita solvisse patet, ut Dei similitudo ad mentem solummodo pertineat. Et ipse Victor hac in re idem iudicavit, quod hoc loco efficitur al. I 188 sq: *hominem iam corpore donet . . . nam causas condere rerum non quod membra dare est.* Praeterea affero versus al. I 184 sqq. quibus expositum est hominem a Deo ipso (cfr. al. I, 196 *ipse*) neque vero per filium (verbum λόγος al. I 149) procreatum esse. Eadem cogitatio nobis oblata est iam ab Ambrosio hex. VI 7. 40: *Quis hoc dixit? Nonne deus qui te fecit?* maximeque a Theophilo qui l. c. II 18 de eadem re ita disseruit: πάντα γὰρ λόγῳ ποιήσας (cfr. al. I. 149: filius omnipotens faceret) ὁ θεὸς καὶ τὰ πάντα πάρεργα ἡγησάμενος μόνον ἀΐδιον ἔργον χειρῶν ἄξιον ἡγεῖται τὴν ποίησιν τοῦ ἀνθρώπου (cfr. al. I 196; facit ipse manu). Vides quam arte Victor in carmine condendo cum auctoribus ecclesiae prosaicis nexus fuerit.

Septimo demum die homo a Deo donatus est corpore, cum sexto die „anima ac specie“ factus esset; quem fecit deus eo more quo futura et quo facienda facit“ al. I 164 sq., quippe „qui solus potis sit etiam facienda creare“

al. I 143. Septimo igitur die Deus non requiescit, sed sexti diei opus porro tractat al. I 190 sq., nam sex dies Deo nihil aliud sunt quam dies primus sive unus, al. I 192. Eandem vero iam Augustinus rationem secutus est in libro De Genesi ad litteram, ubi V 1 haec disseruit: *intellegitur unum diem fecisse Deum, unde iam illi sex vel septem dies unius huius repertitione numerari potuerint;* maximeque ibid. 6: . . . *simul Deum fecisse omnia* . . . . *cum sex dierum ordine creata cuncta et consummata* . . . *nunc ad unum diem omnia rediguntur.* Et hominem a Deo longiore temporis sumptu esse procreatum etiam ex verbis al. I. 202: *nos facit esse mora* apparet. Quae sententia unde fluxerit si quaeras, Ambrosium adeas, qui in libro de Paradiso I 5: *in paradiso hominem Deus posuit* . . . *non eum hominem qui secundum imaginem Dei est posuit, sed eum qui secundum corpus.*

Igitur prior homo ille sexti diei tantummodo „anima ac specie" factus erat, is qui in paradiso positus est septimo demum die corpore conditus est. Ambrosius autem hac in re sequi poterat Theophilum qui II 23 idem tradit. Denique ad hanc opinationem invitaverat interpretes ipsa sacra scriptura in qua haec Gen. II 2: *complevitque die septimo opus suum.*

Accedit Hieronymus qui in libro Questionum hebraicarum init. adnotat (Gen. II 2): *pro die sexto in Hebraeo habet diem septimum* . . . *deus operatur in sabbatho complens opera sua in eo*; et Augustinus qui de Genesi contra Manichaeos lib. I 17. 27 maximeque 28 ita disputat: *quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, ubi est ratio et intellectus.* Item conferenda sunt quae leguntur de civ. Dei XIII 24: *animam scilicet interiorem hominem, corpus autem exteriorem hominem vocans* . . . *sed intellegendum est secundum quid dicatur homo ad imaginem Dei et homo terra atque iturus in terram. Illud enim secundum animam rationalem dicitur, qualem Deus insufflando vel* . . . *inspirando indidit homini, id est hominis cor-*

pori; *hoc autem secundum corpus, qualem hominem Deus finxit ex pulvere, cui data est anima, ut fieret corpus animale, id est homo in animam viventem.* Atque idem auctor de Genesi ad litteram III 22. 34 docuit: *Nonnulli . . . suspicati sunt nunc interiorem hominem factum, corpus autem hominis postea . . . ut quod dictum est, fecit, ad spiritum pertineat quod autem finxit ad corpus.* Idem autem sexto libro eiusdem loci uberius disceptatum est; nec minus de civ. Dei XIII 24 de discrimine vocabulorum formare et fingere agitur. Verba autem hic facta spectant ad Alethias versus I 368. 373 et 374.

Haec habui quae de sexti diei opere dicerem. Quibus qua ratione Victor Alethiam composuerit, sacrum textum enarraverit, immutaverit, satis patere arbitror. Vidimus poetam ad singularia melius illustranda et ex suo penu et ex aliis auctoribus maximeque ex Ambrossii hexaëmero cogitationibus depromptis res in bibliis sacris datas et amplificavisse et invertisse.

Per appendicem de Ambrosii similitudinibus etiam plura congeram cuius hexaëmeri sextus liber similia Victoris etiam haec continet:

al. I 157: quid possint conferre deo?

hex. VI 2. 7: quis igitur aequalem sibi cum Deo potestatem audeat et scientiam vindicare?

al. I 161: similem decet esse creanti

hex. VI 8. 44: nos similes Dei dici

al. I 172 sqq: cessasse parentem . . . et requiem tenuisse suam.

hex. VI 10. 75: requievit Deus ab omnibus mundi operibus

al. I 181 sq: Tartara Christus solvit et evicto reditum patefecit Averno.

hex. VI 10. 76: Christus in homine . . . pro hominis redemtione.

al. I 211 sq: homo . . . prudens rationis

hex. VI 10. 75: fecerat hominem rationis capacem.

al. I 480 sq: coluber qui coelum intrare creatos deiecisti homines

hex. VI 7. 42: sed fugiamus hanc imaginem quae intrare civitatem Dei non potest.

al. I 519: terram quod magis es faciat terraeque refundat

hex. VI 7. 43: sed es terra et in terram resolveris.

al. II 378: quis vitam lucemque dedit

al. III 44: hauriat humanum quisquam ferus ense cruorem

hex. VI 8. 48:. qui humanum sanguinem fundunt qui vitam quam Deus donavit extorquent.

Iam vero plura eiusmodi ex Ambrosii hexaëmero proferre pergam ut Victoris carmen non minus compleri ingenio Ambrosiano quam sermonis floribus coloribusque planum fiat. Perpendamus haec:

al. prec. 2 sq: nec . . . mentibus humanis . . . comprendere
hex. II 1. 1: incomprehensibilis humanis mentibus.
al. prec. 27: pondera librans (cfr. al. III 33)
hex. II 3 11: pondere librato
al. prec. 41 et I 9: in maiestate creandi
hex. I 6. 22: Deus omnia in maiestate sua consistere
al. prec. 100: patris sapientia verbi
hex. III 7. 28: sapientia Dei
al. prec. 118: et vires . . . dedisti
hex. III 15. 62: dat omnibus vires
al. prec. 125: saeclorum saecula
hex. I 10. 38: saecula saeculorum
cfr. hex. III 5. 24 et 17. 72. VI 10. 76.
al. I 4: deus unus
hex. I 5. 19: unus Deus
al. I 6 sq: vitalis . . . substantia
hex IV 4 15: vitalis substantiae
ibid. : substantiam vitae

al. I 15: semine nullo
hex. IV 4. 19: sine ullo semine
al I 55: nondum compositis . . . terris
hex. I 7. 27: incomposita terra
al. I 56 sq: lux . . . emicuit
hex. I 9. 33: lumen emicuit
cfr. Senec. N. Q. II 57. 1: lumen emicuit
al. I 56 sq: concreto corpore . . . solidata
hex. VI 5. 34: concreta atque solidata
al. I 100: lunaque . . . lumine fulsit
hex. IV 8. 32: luna . . . refulsit
al. I 100 sq: lunaque . . . globo
hex. I 3. 10: globus lunae; cfr. IV 6. 25. VI 2. 8.
al. I 135: munera solis
hex. IV 6. 28: muneri solis
al. I 135: calidi . . . solis
hex. VI 8. 52: solis calorem
al. I 137: edere terram
hex. V 2. 6: in terra editos
al. I 140: prorepunt . . . terris
hex. II 3. 12: de terris erumpunt
al. I 159: stat data summa operi
ib. 48 et 50: summa . . . operis
et ib. II 426: summa operis
hex. VI 10. 75: operis summa
al. I 169: digente deo
hex III 1. 1: dicente Deo, cfr. hex. VI 2. 7.
al. I 187: consummat opus
hex. VI 9. 57: consummandis operibus
et hex II 5. 21: in consummatione operis
al. I 217: propriae virtutis
hex. V 8. 23: propriae virtutis
al. I 242: infundere sensu
hex. VI 4. 21: infundit sensibus
al. I 255: nemoris paradisus amoeni
hex. III 11. 48: in paradisi amoenitate

al. I 295: mersusque cavernis
hex. V 13. 42: includit cavernis
al. I 312: expers curarum
hex. V 21. 69: curarum remissio
al. I 322: diversarum . . . examina rerum
hex. III 10. 45: diversae rerum species
al. I 328: dei indulgentia
hex. III 6. 27: Dei indulgentia
cfr. hex. III 9. 33: divina indulgentia
et hex. IV 2. 6: divinae indulgentiae
al. I 352: diverso munere donans
hex. III 8. 33 et 9. 41: diverso munere
ibid. 13. 35: munere donata
al. I 374 sq: fingi posset
hex. I 2. 7: posset effingi
al. I 387: una duos in carne manere
hex. V 4. 7: duosque in corpore uno vivere
al. I 400: hic nec bona novit
hex. III 9. 41: si bona sua norint; cfr. hex. V 8. 23
et Verg. georg. II 458: sua si bona norit
al. I 434: vitae vigor
hex. V 1. 3: vitalis . . . vigor . . . virtutis
al. I 541 sq: culpae hoc adscribere primae Et poenae
hex. IV 4. 17: quibus poena adscribitur . . . culpa
al. II 22: floribus halat
hex. V 21. 69: inhalandis . . . floribus
al. II 81: quaesita labore
hex. IV 1. 1: labore . . . quaesita
al. II 114 sq: totas splendescere terras Et lucem sub sole novam
hex. IV 9. 34: totus nova luce mundus emicuit
cfr. Verg. aen. IX 278: nova lux.
al. II 120: terra . . . pandit . . . venas
hex. IV 6. 28: terrarum venas
al. III 523: pollens opifex
hex. I 9. 23: naturae opifex

al. II 548: quo condidit omnia nutu
hex. V 2. 5: divino nutu . . . imperata produxit
al. III 39: species rerum
hex. I 7. 27: species rerum
cfr. hex. I 8. 28. VI 1. 2 aliisque locis.
al. III 97: resolutus pectora leto
hex. III 8. 34: morte resoluta
al. III 119 spem . . . futuri
hex. I 6. 22: ad spem futuri
al. III 270: prava . . . mente
hex. I 4. 14: depravatae mentis
al. III 276: campi . . . plana
hex. VI 6. 37: plana camporum
al. III 496: longe lateque propaget
hex. III 8. 36: longe lateque spargitur
al. III 527: mersa profundo
hex. I 7. 26: profundo mersa
al. III 630: una eademque, cfr. III 252
hex. II 2. 5: una atque eadem
al. III 789: hominum peccata lavare
hex. III 5. 23: unda peccatum abluit.

Quae omnia ubi contemplor eo facile producor ut etiam in rebus levissimis et in vocabulorum communium electione poetam ex episcopo pendere existimem. Certe communium vocabulorum thesaurum in conspectu ponere placet:

al. prec. 3: comprendere = hex. I 2. 5; I 3. 9. 10; I 6. 22; I 9. 32. 34; II 3. 9; II 4. 15; III 4. 18; VI 2. 7; de Noe et arca I 1.
al. prec. 7 et al. I 7: nexu = hex. III 8. 34
al. prec. 87: laqueos = hex. VI 8. 48.
al. prec. 93 et al. I 270: resolvens = hex. V. I. 1
al. I 4: apud quem = hex. II 5. 21
al. I 9: regnabat = hex. II 4. 16
al. I 21: seriem = hex. III 2. 7
al. I 54: animabat = hex. III 7. 30

al. I 66 et 235: vigore = hex. II 4. 16
al. I 66: solidata = hex. III 15. 63
al. I 73: alimenta = hex. III 8. 39 et 10. 44; IV 4. 15; V 1. 2; VI 8. 5; VI 9. 65.
al. I 74: exurat = hex. III 8. 34; IV 3. 10
al. I 75 et 102: subiecta = hex. II 4. 15
al. I 76: protegit = hex. V 18. 60
ibid: machina = hex. VI 5. 31
al. I 83: inconprensibili = hex. I 3. 9; I 7. 25; II 1. 1
al. I 112: conficit = hex. III 12. 49
al. I 120: gurgite = hex. I 8. 28; V 21. 69
al. I 128: subit = hex. V 8. 21
al. I 131: halat = hex. V 1. 4
al. I 140: vitalia = hex. III 9. 39; VI 4. 21 et 9. 61
al. I 164 et 460: more = hex. VI 3. 10
al. I 228 et 287: temperat = hex. III 5. 22
al. I 233 et II 10: distincta = hex. I 8. 28; III 3. 13; III 14. 60; IV 7. 29.
al. I 234 et III 81: tegmine = hex. III 13. 59
al. I 238: fragrat = hex. I 8. 30
al. I 270: quadrifido = hex. III 14. 60
al. I 287: stagnis = hex. III 3. 12 et 16
ibid: refluentibus = hex. III 5. 23
al. I 480: coluber = hex. III 9. 40
al. I 518: lenta = hex. III 13. 53
al. II 3 et 355: terrena = hex. VI 6. 39 et 8. 48
al. II 66: vindictam = hex. VI 4. 21
al. II 104 et III 417: resultat = hex. III 4. 23; VI 9. 62.
al. II 190: resonet = hex. V 12 38
al. II 198: impendit = hex. V 17. 57
al. II 341: compendia = hex. III 12. 50; IV 4. 15; VI 4. 16.
al. II 375: ex nihilo = hex. I 4 15
al. II 401: trabibus = hex. VI 5. 31
al. II 434: laterum = hex. V 21. 69

al. I 475 et III 332 et 472: quandoquidem = hex. V 2. 6
al. III 30: elementa = hex. I 6. 22
al. III 59: rutilans = hex. III 8. 36: rutilantes
al III 77: aspergine = hex. III 5. 21
al. III 84: pietatis = hex. V 17. 56
al. III 228: sine nomine = hex. VI 9. 57
al. III 285: nec tamen = hex. VI 4. 21
al. III 451: titubant = hex. V 8. 17; 11. 35; 24. 88
al. III 473: inlecebris = hex. III 5. 23
al. III 482: picta = hex. VI 7 42
al. III 741 et 752: tramite = hex. V 8. 10 aliisque locis
al. III 742: vaporans = hex. VI 1. 1.

Hactenus haec. De aliis autem Ambrosii libris qui ad hanc rem respiciunt: De Paradiso, De Cain et Abel, De Noe et arca, De Abraham non perperam iudicaverit qui etiam hos eadem ratione atque hexaëmeron a Victore in usum vocatos esse pro certo affirmet.

Restat ut paucis deliberem utrum a Victore etiam Philonis Theophilique opera in usum vocata sint necne. Negari nequit Philonem ab Ambrosio nonnullis locis in libro de paradiso 2. 11 et 4. 24 laudari, quamquam eius nomen non affertur. Scriptum videmus Philonis nomen apud Ambrosium in eodem libro 4. 25, ubi verba sunt: *Philon autem quoniam spiritalia iudaico non capiebat affectu intra moralia se tenuit* . . . Inde colligitur Philonem Ambrosio notum fuisse, quod iam diligenter declaravit Siegfriedus „Philo von Alexandria als Ausleger des alten Testaments“, Jenae a. 1875, p. 372. Hinc tamen non consectarium est ut etiam Victorem Philonis opificium de mundo in suum usum convertisse dicamus. Ex locis quos supra hic illic attuli argumentum firmum deduci non potest ad imitationem Philonis comprobandam. Auget dubitationem quod non in omnibus rebus cum bibliis sacris fecit Philo sed hic illic suam ingressus est viam (cfr. p. 42). Similiter res se habet de Theophilo. Qua in controversia anceps iudicium haerebit. Unus enim locus est quo maxime Theophili

imitatio commendetur. Quo tamen ex loco iam p. 45 allato non certo cogitur Theophili opera nota fuisse debere Victori, namque fieri potest aut hoc ut uterque ex communi fonte rem hauserit aut illud ut per latinum interpretem res ex Theophilo ad Marium manaverit. Igitur etiam de hoc quaestionem declino. Et semper haesitabimus et reluctabimur, si quis huius sequioris aevi poetam Graecos fontes adisse statuerit, praesertim cum Ambrosius magnus compilator commentarium illum ad Genesin praestiterit, ex quo aut pleraque aut omnia quibus opus erat haurire posset.

Iam vero ad aliud et gravius officium quod superest accedam. Est enim inquirendum quibus bibliorum versionibus latinis vel qua potissimum versione usus esse videatur Victor. Quodsi quid memoria dignum investigavero, acquiescam et hanc disputationis partem concludam. Hoc autem maxime quaeritur utrum poeta vestigia Italae quae dicitur an Vulgatae versionis secutus sit. Cuius rei luculenter demonstrandae causa mulla alia argumenta nisi in carmine ipso posita ad manum sunt. Namque studia quae viri docti Sabatarius Kaulen Ziegler Fritzsche nuperrimeque Berger in versionibus quae in censum veniunt collocarunt minus ad rem propositam spectant. Atque etiam ex Bergeri libro cognovi historiam Vulgatae prioribus saeculis christianis tam obscuram esse, ut omnia fere in controversiam cadant (cfr. Berg. praef. p. X). Idemque vir doctus de veteribus versionibus latinis quod verba fecit p. 5 sqq. ne ex his quidem perspicitur quae maxime textus latini conformationes in Gallia illa quae veteribus versionibus fidam se praestitit usurpatae sint. Namque „le royaume des Francs était une terre ouverte à toutes les importations, et par conséquent un pays des textes mêlés et sans caractère propre“ (cfr. Berg. p. 7).

Quibus rebus expositis ad traditas versiones ipsas revertamur percensendas atque videamus quae ratio inter eas et Victoris Alethiam intercedat. Sic autem rem institu-

emus. ut verba versionum Septuaginta Italae lectionis Ambrosianae Vulgatae exhibeamus, exhibita diligenter conferamus cum Victoris verbis. Age iam ipsum conspectum proponemus:

Sept. I 1: *Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.*

Itala (= versio antiqua apud Sabatarium) I 1: In principio *fecit* Deus coelum et terram.

Conspirat lectio Ambrosii.

Vulgata I 1: In principio creavit Deus coelum et terram.

Verba Victoris al. I 11: Et *facienda* videns . . . al. I 37: *factum* igitur constat mundum . . . al. I 39: concessit *fecisse* Deum. . . .

Vides in voce *facere* consensum. Tamen haec lectio minoris ponderis est quod variat in Itala et Vulgata. Namque in Itala XIV 19 et 22 legitur . . . qui creavit coelum et terram et Vulgata II 4: . . . quo fecit coelum et terram.

Sept. I 2: *ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος.*

Itala ib: terra autem erat invisibilis et *incomposita.*

Item lectio Ambrosii.

Vulgata ib: terra autem erat inanis et vacua.

Verba Victoris al. I 55: *nondum compositis . . . terris* (cfr. supra p. 21).

Sept. II 12: *καὶ ἐκεῖ ἔστιν ὁ ἄνθραξ καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος . . .*

Itala ib: et ibi est *carbunculus* et lapis prasinus . . .

Lectio Ambrosii ib: ubi est *carbunculus* et lapis prasinus.

Vulgata ib: ibi invenitur bdellium et lapis onychinus.

Verba Victoris al. I 282 sq: fulmineo rutilans *carbunculus* igne coruscat Ac viridi radiat fulgescens luce smaragdus.

Pendet igitur ex Italae vel Ambrosii verbis; nisi forte carbunculum ex Cypriano assumpsit (cfr. p. 62).

Sept. II 20: *καὶ ἐκάλεσεν Ἀδὰμ ὀνόματα πᾶσι τοῖς κτήνεσι . . .*

Itala ib: et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus...

Lectio Ambrosii ib: et *imposuit* Adam *nomina* omnibus pecoribus . . .

Vulgata ib: appelavitque Adam nominibus suis cuncta animantia.

Verba Victoris al. I 60: *nomen imposuit* et al. III 618: *imponam nomen . . .*

Itaque Victor Ambrosium sequitur.

Sept. IV 15: . . . *ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει . . .*

Itala ib: septem vindictas exsolvet . . .

Lectio Ambrosii ib: septies *vindictam* exsolvet . . .

Vulgata ib: septuplum punietur . . .

Verba Victoris al. II 66: *vindictam* de me praestare.

Sequitur ergo Ambrosii lectionem.

Sept. VI 14: *ποίησον οὖν σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων· νοσσιὰς ποιήσεις τὴν κιβωτόν· καὶ ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν τῇ ἀσφάλτῳ . . .*

Itala ib: Fac igitur tibi arcam ex lignis quadratis: nidos facies in ea et bituminabis eam intus et foris bitumine . . .

Lectio Ambrosii ib: fac igitur tibi arcam de lignis *quadratis*. *Nidos* facies in arca et illinies eam *bitumine*.

Vulgata ib: fac tibi arcam de lignis laevigatis: mansiunculas in arca facies et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus.

Verba Victoris II 401 sq: *quadratis* igitur trabibus contexta paretur arca tibi . . . et al. II 407 sqq: tunc calidum . . . *bitumen* exploret . . . et al. II 413: sic discernantur propriis animantia *nidis* . . .

Ceterum lectionem „trabes domorum" exhibet Ambrosius de Isaac et anima lib. IV 16. et Augustinus de civ. Dei XII 26: de lignis quadratis fieri iubetur (sc. arca).

Atque in nota ad versum XIV a Sabatario, facta videmus scriptum: . . . habent Latini codices plurimi: Nidos facies in arcam, cum Latina locutio sit: non in arcam, sed in arca; Graeci nec in arcam nec in arca habent, sed: nidos facies arcam; quod intelligetur ut ipsa arca nidi essent.

Sept. VI 16: *ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν· καὶ εἰς πῆχυν συντελέσεις αὐτὴν ἄνωθεν . τὴν δὲ θύραν τῆς κιβωτοῦ ποιήσεις ἐκ πλαγίων . κατάγαια διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν.*

Itala ib: colligens facies arcam et in cubito consummabis eam a summo: ostium vero facies ex transverso: inferiora autem arcae bicamerata et tricamerata facies (cfr. August. l. c. XII 26).

Lectio Ambrosii ib: colligens facies arcam et in cubito consummabis eam a summo. ostium ex adverso facies, inferiora autem arcae bicamerata et tricamerata facies . . .

Vulgata ib: fenestram in arca facies et in cubito consummabis summitatem eius: ostium autem arcae pones ex latere: deorsum, caenacula et tristega facies in ea.

Verba Victoris al. II 404 sqq:

ter denis tantum; per . . . .
. . . . consummetur in unam*)
desuper. at lateri servetur ianua, qua se
collecta oblico fastiget machina tecto.
tunc calidum bibula spirans conpage bitumen
exploret tenues et vestiat undique rimas
fusum more cutis. labor hinc te maximus intro
avocet: inmensis latus adnectatur utrimque
postibus et caveae fundentur membra peractae
cumque triplex spatium discreverit area duplex
sic discernantur propriis animantia nidis . . .

*) cfr. Schenkelium qui in adnotatione p. 400 solam confert vulgatam lectionem conicitque a Victore scriptum esse „fenestra".

Facile intellegitur hic quoque aliquam similitudinem verborum poetae esse cum lectione Vulgata. Vehementer vero dolendum est quod in Victoris poemate versus 403 sq. corrupti leguntur. Minime tamen mihi persuaderi potest Schenkelii sententiam veram esse qui „unde veri simile in versu ultimo scriptum fuisse „fenestra consummetur unam“ (sc. ulnam) coniectavit. Recte quidem haec verba se haberent, si solam Vulgatam lectionem in suum usum convertisse Victorem argumentis probatum esset. E contrario autem negari nequit et re et verbis Victorem maxime concinere cum Itala sive cum lectione Ambrosiana. Plerique autem codices habent: *facies ostium arcae a latere.* Modo conferas al. II 405: *lateri* et ib. 410: *latus.* Nonnulli habent *ex transversa*; sic enim voluerunt interpretari quod Graece dicitur: *ἐκ πλαγίων.* Et alia lectio est: . . . *et in cubito consummabis eam desuper.* Conferas al. II 404 sq: *consummetur* . . . *desuper.* Hinc efficitur ut in hac controversia diiudicanda Victorem varias lectiones adhibuisse arbitrer. Verbo tenus Genesis versus VI 16 germanica redditur lingua: Eine Lichtöffnung sollst du oben an dem Schiff herstellen, eine Elle breit, und den Eingang zum Schiff sollst du an seiner Seite anbringen; in drei Stockwerken mit lauter einzelnen Gelassen sollst du es erbauen (cfr. Kautzsch und Socin, die Genesis übersetzt, Freiburg i. B. 1888. p. 11). Sed utut haec res se habet, id pro explorato duci potest Victorem hoc quiden loco non esse secutum lectionem Vulgatam.

Sept. XII 14: *ἐγένετο δὲ, ἡνίκα εἰςῆλθεν Ἅβραν εἰς Αἴγυπτον* . . .

Itala ib: factum est autem, statim ut *intravit* Abram in Aegyptum . . .

Lectio Ambrosii hoc loco mihi non erat ad manum.

Vulgata ib: cum itaque ingressus esset Abram Aegyptum . . .

Verba Victoris al. III 364: Abram . . . 369: *intrat* in Aegyptum.

Sept. XV 9: λάβε μοι δάμαλιν τριετίζουσαν . . .
Itala ib: accipe mihi iuvencam trimam.
Lectio Ambrosii ib: *sume* mihi vitulum trimum . . .
Vulgata ib: sume mihi vaccam triennem.
Verba Victoris al. III 500: trimam *sume* mihi . . . iuvencam.

Sept. XVII 2. 4. 7. 9. 10. 11. 13. 19. 21: διαθήκη
Itala ib: testamentum.
Lectio Ambrosii ib: testamentum.
Vulgata ib: foedus . . . pactum.
Verba Victoris al. III 600: testamentum.
Et in Genesi XVII 14 prorsus desunt in lectione Vulgata verba *octavo die*, quae Itala et lectio Ambrosii praebent nec non et Victor al. III 599: *octava luce.*

Praeterea unum tantummodo locum afferre possum quo verba Vulgatae et Victoris satis inter se concinant. In capite Genesis XIX 26 Vulgata lectionem praebet: „uxor . . . *versa* est in statuam salis"; quae lectio conferenda est cum Victoris verbis al. III 758: „in statuam *conversa* salis". Sed iis quae ad versum illum Sabatarius adnotat docemur haec verba iam ab aliis auctoribus usurpata esse velut ab Augustino in civ. Dei XVI 30: „uxor . . . in salem *conversa* . . ." Concluditur Victorem verba horum auctorum in suam lectionem redigere potuisse etiam neglectis Vulgatae versionis verbis.

Ex conspectu proposito omnibus locis diligenter collatis declaratur lectionem Italae versionis vel lectiones Ambrosii secutum esse Victorem. Idem autem poeta etiam aliarum versionum vestigia persecutus esse videbitur. An etiam Septuaginta? Constat Theophilum in opere conficiendo ita se gessisse, ut textum Graecum iisdem verbis redditum

ac Septuaginta commentationi suae praemitteret (cfr. Theoph. II 11). Nec minus ad vestigia versionis Septuaginta artissime se applicabat Philo Iudaeus. Quodsi Theophili vel Philonis imitatorem fuisse Victorem probatum esset, ne de Septuaginta quidem ab eo adhibitis ambigeres. Nunc in ambiguo res relinquenda est. Sed enim auctores Latinos gravissimos eos qui Italam maxime sequebantur ante oculos suos habuit Victor. Quo in numero inprimis referendi sunt Cyprianus*) et Iuvencus**) et Paulinus Nolanus***). — Denique quamnam rationem habuit Vulgatae versionis? Pro certo statuitur Hieronymum inter annos 394—396 praeter alios libros veteris testamenti ad Genesis textum interpretandum aggressum esse, totam Vulgatam non ante annum 405 in lucem emissam esse (cfr. Kaulen p. 168). Fieri autem potest ut Victor Alethiam iam illo anno ad exitum perduxerit. Quod eo probabilius esse mihi videtur, cum poeta ad suos discipulos educandos Alethiam composuerit. Ceterum haud parvi aestimo, quod Vulgata non statim postquam prodiit in omnibus terris christianis excepta vel in usum vocata est. Potius constat magnas difficultates Vulgatae propagandae occurrisse. Itaque ad locos versionum supra compositos animum dirigamus. Ex Vulgata versione Hieronymi videbis ne uno quidem loco probari posse quidquam exscripsisse Victorem. Contra in dubio minime ponitur quin plerumque Victor vestigia Italae versionis et lectionis Ambrosianae secutus sit. Igitur versiones latinae hae Victori notae fuerunt et ab eo ubi aptum esse videbatur usurpatae sunt, et Itala et lectio Ambrosii. Utrum autem Victor versionem virorum Septuaginta hic illic in usum converterit et Vulgatam iam noverit necne in medio relinquendum, minus tamen simile veri esse aio.

*) cfr. Peiper praef. edit. p. 26.
**) cfr. Sabat. praef. p. 42 sq.
*** cfr. Kaulen. l. c. p. 194.

Caput II.

Iam vero ad alteram disputationis partem nos vertamus, de imitationibus ex aliis poetis depromptis agamus. Ac primum de christianis, deinde de ethnicis dicamus poetis.

Poetae christiani.

Primum omnium poetarum christianorum locum **Cyprianus** obtinet. Paucissima autem praefanda sunt.*) Cyprianus ad textum bibliorum sacrorum artissime se applicavit neque altius assurrexit ut alii poetae fecerunt qui et ipsi materiam ex scriptura sacra sumpserunt. Ne iis quidem partibus quae copiam prolixius digrediendi praebuerunt a sese aberravit, velut in sermone de mundo procreando aut in paradiso depingendo (cfr. Manit. p. 168). Quae cum ita sint, neminem qui Alethiam cum Cypriani Genesi contulerit orationem huius nimis ieiunam aridamque esse fugiet. Et in ipsa hac verborum tenuitate magnum discrimen quod inter duo carmina intercedit positum est. Nam Cyprianus interpretatur biblia sacra fere verbo tenus, Victor commentatur. Itaque ille omnia monstra nominum propriorum scripturae sacrae accurate reddidit, hic de industria omisit. Cuius rei illustre exemplum est caput quintum textus sacri quod de familiarum origine subtextum est, ut ex eo propagines a Seth usque ad Noachum cognoscamus. Quod caput a Victore omissum, a Cypriano copiose redditum est. Neque aliter res se habet aliis locis, sed nolo esse longior in talibus rebus enarrandis.

Humilitas enim illa Cypriani Victori impedimento non fuit quominus ad dictionem poeticam flosculos sat multos ex eo decerperet. Videas locorum similium conspectum:

*) Cfr. Schenkl. in edit. praefat. p. 352 sqq.

al. prec. 4: coelum terrasque, cfr. al. I 472.
gen. 1: coelum terramque
al. I 145: transmittere cursu
gen. 1029: transmittere gressu
al. I 164: more futura
gen. 214: more futura
al. I 179: pro munere vitae
gen. 1388: pro munere vitae
al. I 218: fervent . . . aequora partu
gen. 708: gignuntur pignora partu
al. I 269: fons rigat . . . quadrifido
gen. 55: quo rigat . . . quadrifidosque)
al. I 272 et 282: gurgite . . . carbunculus
*gen. 58: gurgite . . . carbunculus**)
al. I 400: carpere fructus
gen. 66: praecerpere fructus
cfr. Paulinus Nolanus 28. 63: decerpere fructus. Et imperativi forma legitur Cypriani Gen. 48: decerpite fructus et perfecti ibid. 834: carpsit de caespite fructus.
al. I 419: vipereo . . . veneno
*gen. 105: vipereis . . . venenis
al. I 420: membra . . . s*a*pore
gen. 915: membra . . . s*o*pore
quibus in formis una tantum littera mutata est.
al. I 422: pectora sensu
gen. 82: pectora sensu
cfr. Exod. 323. Deuteron. 13. Victorini de Maccab. 125. Paul. Nol. IV 145. Claud. Claudian. XXX 5.
al. I 485: sulcabis pectore terram
gen. 737: terram dum sulcat aratro
al. I 519: terraeque refundat
*gen. 125: terrae reddare iacenti

---

*) loci quos aliis debeo asterisco hoc notantur.
**) cfr. Carolus Becker, De metris in heptateuchum, Bonnae 1889, p. 39.

al I 520: caelum defendere membris veste tegit pecudum
*gen. 131 sq: membra rigerent . . . pecudum . . . vestibus
al. I 538: quae fuerit
gen. 1419: quae fuerint
al. II 17: plena malorum
gen. 813 sq: prima malorum
a patriis . . . discedere terris
al. II 296: a patriis . . . excedere terris
al. II 63: pro crimine poena
gen. 1231: de crimine poenam
cfr. Iudic. 14: pro crimine poenas
al. II 196: pulsus sedibus Adam
gen. 680: positis de sedibus Abram
cfr. Senec. Oedip. 976: sedibus pulsi suis
al. II 208: arva Cain duris vertebat . . . rastris
*gen. 140: terram vertebat aratro
al. II 210: germine campi
gen. 13: germina campis
cfr. carm. adv. Marcion. II 234: germina campis et Metr. in genes. 101: gramina campis.
al. II 211: innocuas pascebat oves
*gen. 139: innocuas . . . servabat . . . bidentes
al. II 216: niveo magis hic litat agno
*gen. 144: miti se devovet agno
al. II 328: nomine vero
gen. 450: nomine vero
cfr. Cic. Arat. Phaen. 407 et 564: nomine vero; Claudiani de VI cons. 603.
al. II 364: mole gigantes
*gen. 238: mole gigantes
cfr. Cic. fragg. poemat. p. 354. 13: moles gigantum.
Sil. Ital. XVII 649: mole gigantum.

Certissima est imitatio Victoris in descriptione arcae quae legitur:
al. II 402: arca tibi quae ter centum tendatur in ulnas et ib. 407: compage bitumen . . . rimas

gen. 253 sqq: dissultant robora rimis linuit bituminis arcam ter centum longo per ulnas
cfr. Cic. Arat. Phaen. 199: distenditur ulnis.
al. II 403 sqq: consurgat in altum . . . ter denis . . . fastiget
gen. 257 sq: surgunt fastigia . . . edita ter denis . . . ulnis
al. II 445: cardine caeli
gen. 931: cardine caelum
al. II 520: coniuge cum fida
gen. 64: cum coniuge fida
al. III 284: terris atque orbem gentibus implent
*gen. 401: impletur positis cultoribus orbis
al. III 327: me duce pervenies
gen. 927: me duce . . . iterum remeabis
cfr. Ov. met. III 12: me duce carpe viam
al. III 385: corda tumultu
gen. 1135: corda tumultu
cfr. Iudic. 6. Hilarii de martyr. Maccab. 39. Stat. Theb. VIII 261.
al. III 412: figit tentoria Mambrae
*gen. 470: tendit et ad quercum . . . Mambram
al. III 492 sq: omnipotens ego sum dominus qui teque tuosque Chaldaea de gente tuli
*gen. 518: ego sum dominus . . . et te Chaldaea ex gente reduxi
al. III 500: torva iam fronte iuvencam
gen. 527: torva cum fronte iuvencum
cfr. Exod. 1145: torva formavit fronte iuvencum et ib. 1042: fronte iuvencas. Num. 138: cum fronte iuvencos. Verg. aen. IX 627: aurata fronte iuvencum et aen. III 636: torva fronte. Stat. Theb. VII 672: fronte iuvencum. Hermannus Best hunc locum falso attribuit Claudiano (cfr. p. 49). VIII 518: quam torva voluptas frontis.
al. III 503: columba . . . cum turtine iuncta
*gen. 529: columbas . . . cum turtine iunctas
al. III 512: at ille dei monitis servire libenter

gen. 910: at iuvenis monitis gaudens servire paternis
cfr. Hilarii de martyr. Maccab. 252: monitis parere parentis
al. III 519: sole ca*d*ente (cfr. al. III 684)
gen. 938: sole ca*l*ente (cfr. Tib. II 5, 22.)
al. III 538: peccata nocentum
gen. 243: peccata nocentis
al. III 546: signum monte dedit
*gen. 558: dat fulmine signum
al. III 561 sqq: Agar nomen erat. Nilotica tellus origo subrogat in thalamos precibusque adgressa maritum progeniem vili concedere perpulit alvo
*gen. 564 sqq: coepit lactare maritum cogit consortia servae noscere . . . pignore vili, et ibid. 567: ilicet in thalamos Aegyptia ducitur Agar.
al. III 586: alloquio dignatus adit
gen. 148: alloquio dignatus . . . infit
al. III 597: puerosque a matre recentes, et ibid. 599: praeputio exutos octava luce sacrari
gen. 588 sq: cum sol octavus adesset *maribus exhibitis adimit praeputia ferro
al. III 604: innumeras gentes
*gen. 582: gentibus innumeris
al. III 606 sq: littera te renovet . . . ut non Sara tibi coniunx, sed Sarra vocetur
*gen. 584 sq: vocalis littera ducit et Sara quae fuerat mandatur Sarra vocari
al. III 623 sq: milia multa virum . . . gentes bis senis pariter ducibus regnanda creabit.
*gen. 587: bis senos princeps populos generatque regitque
al. III 683 sq: Loth forte sedentem . . . ante fores
gen. 636: pro foribus Lodus . . . sedebat
cfr. Ov. met. IV 452: ante fores sedebant. Claudian. II 432: ante fores . . . sedet, et ib. X 286 et Coripp. Just. III 6.
al. III 685 sq: qui cum miro splendore videret angelicos radiare viros

gen. 637: cumque viros simili lustraret corpore claros
al. III 698: invitatque domum
gen. 773: invitatque domum
al. III 692 sqq: foeda manus vulgi ... claro Loth nomine clamant, dederet exceptos . . . mollire furentes Loth cupiens natas quibus inlibata manebat virginitas offert
gen. 642 sqq: ecce furens tota . . . turba Gomorrae atque viros poscens . . . temptat mollire furentes atque etiam natas cupide dementibus offert
al. III 749: flammarum pabula
gen. 748: flammarum pabula.

Ex his quae attuli satis apparet quid Cypriani Genesis ad Victoris Alethiam conficiendam valuerit. Summas solummodo res attingam. Primum similitudines sunt in re ipsa conspicuae, deinde in usu verborum nonnullorum in eundem sensum adhibitorum, denique alter alterius vestigia imitationibus quae ad genus dicendi pertinent persecutus est.

Transeamus ad **Exodi** librum rimandum. Facile autem intellegitur libros qui sequuntur imitationi minorem copiam praebuisse. Namque materia ipsa tractata a Genesi diversa est. Exempla autem reperta haec sunt:
al. I 93: caespite laetis
exod. 355: caespite laetus
al. II 494: iam summa videri
exod. 1041: quae summa videtur
al. III 4: surgunt altaria
exod. 783: altaria surgant
al. III 40: quae cuncta tremiscunt
exod. 1014: quem cuncta tremiscunt
al. III 100: quod morte piatur
exod. 824: quod morte piatur
cfr. Verg. aen. II 140. Ov. met. VIII 843.
al. III 279: frondea tecta

exod. 334: per frondea tecta

Initium autem huius versus al. III 279: *frondea tecta petunt* quin auctor Exodi Vergilio georg. IV 61 sq: *frondea . . . tecta petunt* debeat dubitari nequit*). Contra clausula eiusdem versus: *congrege turba* conferenda est cum Exodo 663: *congrege turba.* Item conferatur Num. 444 et Iudic. 444.

al. III 505: hostia ferrum
exod. 1110: hostia ferro.

Cetera autem metra heptateuchi Leviticus Numerus Deuteronomium minus in censum veniunt; perpauca enim offerunt vestigia imitationis. Conferenda autem videntur haec:

al. I 250: modulataque sibilat aura
Num. 699: modulatur sibila ramis
al. I 402: nube remota
Num. 299: nube remota
al. III 457: laude triumphi
Num. 528: laude triumphat

Hinc ad carmen De **providentia divina** pergimus. Quod Prospero tributum est, sed nostra aetate auctorem carminis anno 415 vel 416 conditi civem Galliae aliquem fuisse constat.

Hoc carmen Mario Victori notum fuisse ex indiciis his luculenter cernitur:

al. prec. 77: poena malorum
prov. div. 787 sq: poena . . . malorum
al. prec. 124 et al. I 5: spiritus almus
prov. div. 512: spirtus almus
al. I 21: tempora conderet
prov. div. 177: tempora condens
al. I 428: miracula divinorum

*) cf. Schenkl. ed. p. 416.

prov. div. 477: miracula divinorum
al. II 63: cum damnarer ... crimine poena
prov. div. 435: cum ... damnaret crimina poena
cfr. Claudian in Eutrop. II 549: crimine damnes
al. II 262: omne nefas
prov. div. 708: omne nefas
al. III 402 et 539: regna tenebis
prov. div. 356: regna teneret
cfr. De ave Phoenice 64: regna tenet (Baehr. III p. 256. 64) et Baehr. IV p. 82. 5: regna tenere. Am. Marcell. XIX 8. 5.
al. III 479: errore parentum
prov. div. 292 et 467: errore parentum.

Procedendum est ad Iuvencum et Prudentium, poetas Hispanos. Quorum carmina quae maioris sunt ambitus maxima auctoritate et in patria florebant et in Italia et in Africa.

Ac primum de **Iuvenci** carminibus agetur*)

Aquilinus Iuvencus Hieronymo teste (de vir. illust. 84) „Hispanus presbyter quattuor evangelia hexametris versibus paene ad verbum transferens quattuor libros composuit.“ Fuit autem Iuvencus lumen poesis christianae, ut ita dicam, clarissimum. Primus enim omnium elegantia versuum se reddiderat tam nobilem apud posteros qui profitebantur fidem christianam poetas ut ad eius exemplum libenter se accommodarent. Quanto autem studio carmina eius lectitata sint, testis est magnus numerus servatorum codicum manuscriptorum.**)

Iam vero ad singula accedamus. Atque ante me viri doctissimi Schenkelius (cfr. praef. p. 354) et Huemer (cfr. praef. p. 9) Iuvenci vestigia Victorem persecutum esse

*) Edita sunt a Maroldo Lipsiae 1866, postea ab Huemero in corp. scriptt. eccles. lat. vol. XXIV. Vindob. 1891.

**) cfr. Marold. praef. edit. p. 7 et Huemer p. 14.

docuerunt; pauca tamen exempla attulerunt; ego etiam haec comparanda puto:

al. prec. 3: sensu comprendere
  Iuvenc. I 190: comprendere sensu (cfr. II 208).
al. prec. 20: vitae lucisque repertor
  *Iuvenc. IV 479: lucis vitaeque repertor
  ib. I 747: vitae lucisque
  et ib. I 35: caeli terraeque repertor.
al. prec. 105: ad verum virtutis iter
  Iuvenc. I 24: ad verum convertet iter
al. I 15: virtus trina Deus
  Iuvenc. I 68: virtus celsa Dei
al. I 158: rerum possessor
  Iuvenc. III 499: possessio rerum
al. I 168: terras replere
  Iuvenc. IV 726: complebat . . . terras
cfr. Ov. met. XI 209: terras complevit
al. I 422: percussit pectora
  Iuvenc. II 377: percussus pectora
al. I 319: praemia servat
  Iuvenc. IV 4 et 184: praemia servans
al. II 145: pondere multo
  Iuvenc. III 368: pondere multo
al. II 190: septemplicis axis
  *Iuvenc. I 635: caeli septemplicis
cfr. Prudent. cathem. VII 36: caeli . . . septemplicis
al. II 7: genitalia . . . arva
  Iuvenc. IV 465: genitalibus arvis
cfr. Cic. Arat. Prog. 340: genitalibus arvis
Verg. georg. III 135: genitali arvo; eandem lectionem exhibet Ausonius ecl. lib. VIII 11 ut hic a Vergilio pendeat.
al. II 243: vindice ferro
  Iuvenc. IV 526: vindice ferro
al. II 294: sub iudice peius
  Iuvenc. II 635: sub iudice poena

al. II 302: pectoris aegri
Iuvenc. I 192: corporis aegri
al. II 324: gaudia laeti
Iuvenc. II 317: gaudia laetus
al. II 394: nostra voluntas
Iuvenc. IV 492: nostra voluntas
cfr. Val. Flacc. IV 471: nostra voluntas
al. II 440: mortisque tenebris
Iuvenc. I 128: mortisque tenebras
cfr. ib. IV 334: atris de morte tenebris
et ib. IV 733: e mortis sese tenebris.
al. II 451: deus auctor
Iuvenc. I 189 et II 117: spiritus auctor
al. II 538: verbere saevo
Iuvenc. III 720: verbere saevo
al. II 548: omnia nutu
Iuvenc. IV 361: omnia nutu
al. II 532: fulgentior ortu
Iuvenc. I 532: fulgentis ab ortu
al. II 118: demersus . . . ad imas
Iuvenc. IV 257: demersus . . . ad imas
al. III 3: gratesque rependat
Iuvenc. I 96: gratesque rependit

Sed hoc loco letio variat. Maroldus I 96 praebet: gratesque celebrat et ib. I 117: gratesque frequentent.

al. II 188: terra profundo et al. III 20: terras . . . profundo
Iuvenc. II 32: terra profundo
cfr. Manil. astron. V 406: terra profundo
al. III 30: cunctisque diebus
Iuvenc. I 285: cunctisque diebus
al. III 82: properante recessu
ib. III 678: minuente recursu
Iuvenc. I 765: properante recursu
al. III 473: mercesque laborum
Iuvenc. II 315: mercede laboris
et ib. III 554: mercede laborem

al. III 531: talibus attonito
  Iuvenc. II 118: talibus attoniti
cfr. ib. III 527.
al. III 704: morum iustique magistrum
  Iuvenc. II 120: vitaeque magister.

Progrediamur ad **Prudentii** carmina disquirenda et ordiamur ab libro Cathemerinon ubi imitationis vestigia haec inveni:

al. prec. 1: summe . . . deus
  cathem. IV 81: summe deus
al. I 236: spirantia cinnama fundunt
  *cathem. V 118: cinnama raraque spirant
cfr. Persii sat. VI 35: spirent cinnama et Mart. IV 13: vara . . . cinnama nardo.

Pauca igitur indicia imitationis his carminibus insunt, contra plura in Apotheosi deprehenduntur. Haec autem digna quae offerantur mihi esse videntur exempla:

al. prec. 115: includit amictu
  apoth. 333: velavit amictu
al. I 80 et 117: sidera ferri
  apoth. 615: sidera ferri
al. I 112: conficit annum
  apoth. 987: conficit annum
cfr. Cic. nat. deor. I 31, 87: cursus annuos conficit et ib. I 9. 21: annuis cursibus conficiuntur (vide supra p. 38)
al. I 250: sibilat aura
  apoth. 852: sibilat aër
al. II 45: perque omnia fusum
  apoth. 874: nec in omnia fusum
al. II 52: nil veri praeter mortalia nosse
  apoth. 855: cui nosse negatum est omnia
al. II 54: qui . . . totus ubique es
  apoth. 638: qui totus ubique est
al. II 56: semper cernis

apoth. 368: omnia cernens
al. II 193: nec sentit
apoth. 572: nec sentit
al. II 510: lacrimas et gaudia fletus
apoth. 600: lacrimas dant gaudia fletum
al. III 77: aspergine culpae
apoth. 937: culparum aspergine
al. III 641: posse videri
apoth. 44: posse videri
cfr. ib. 10 et carm. adv. Marcionitas I 12: posse videri.
Sequitur Hamartigenia carmen epicum.
al. prec. 69 sq: nisi libera mens est? Libera mens prorsus nulli est ...
hamar. 686: mens libera non est
cfr. carm. de prov. div. 511 et Min. Fel. Octav. 36. 1: mens tamen libera est.
al. prec. 107: primordia mundi
hamar. 344: primordia lucis
al. prec. 123: qui filius unice tecum
hamar. 39: cui filius unicus uni est
al. I 7: una trium ... substantia nexu
*hamar. 78: et tribus una subest mixtim substantia rebus
al. I 143: qui solus potis est
hamar. 37: tantum unus potis est
al. I 159: quaecunque creavi
hamar. 679: quaecunque crearat
al. I 187: quodcunque crearat
hamar. 341: quodcunque creavit
al. I 459: fragili ... mente
hamar. 278: mens fragilis
al. II 28: iam dulce mori
hamar. 154: dulce mori est.
Multo quidem magis decantatum est illud Horatianum quod legitur carm. III 2. 13.
al. II 465: in*t*ima terrae
hamar. 517: in*f*ima terrae

al. III 252: forma loquendi
hamar. 201: arte loquendi
al. III 373: foedera certa
hamar. 236: foedere certo
al. III 502: mactetur honori
hamar. 100: mactat honores
al. III 770: totis saevit in agris
hamar. 243: late dominatur in agris.

Sequitur Psychomachia:

al. I 139 et 392: postulat usus
psych. 609: postulat usus
cfr. Ov. met XIII 215: postulat usus
al. II 524: aëra pennis
psych. 305: aëra pennis
cfr. Tib. IV 1. 209: aëra pennis
al. III 460: tanta inter gaudia
psych. 696: tanta inter gaudia
al. III 645: luce micantes
psych. 334: luce micantem*)
al. III 646: imagine visus
psych. 572: imagine visus
al. III. 715: si credere digni
psych. 497: si credere dignum
al. III 765: lumina flammis
psych. 44: lumina flammis
cfr. Verg. aen. II 300. Lucan. I 154. Avieni Arat. 163. Claudian. epith. Hon. Aug. 266. Baehr. IV p. 267. 72.
al. III 778: caespite campis
psych. 266: caespite campum
al. III 788: Iordanis inundans
psych 99: Iordanis in undis
cfr. Paul. Nol. VI 261: Iordanis ad undas.

Abhinc carmen contra Symmachum tractandum est. Cuius exempla sunt haec:

---

*) cfr. Manit. in ephem. Austr. Vindob. 1886 p. 251.

al. I 40: et virtute potens
al. II 335: cunctis pollens virtutibus
cont. Sym. II 1131: et virtute potens
al. I 169: natura creandi
cont. Sym. II 793: natura creandis
al. I 293: nigro ... Averno
cont. Sym. 389: obscuri ... Averni
al. I 433: quodcunque necesse est
cont. Sym. I 343: quodcunque necesse est
cfr. Lucan. IV 487: quodcunque necesse est
al. I 516: his in deliciis
cont. Sym. I 140: secum in deliciis
al. I 529: sacris ... lucis
cont. Sym. II 53: lucisque sacratis
al. III 107: vegetabilis aër
cont. Sym. II 801: vegetatur mobilis aër
al. III 372: imagine formae
cont. Sym. I 446: imagine formae
cfr. Claudian. de rapt. III 268: imagine formae
al. III 533: edita terris
cont. Sym. II 823: terra edita
cfr. Cic. fragg. poem. p. 354. 12: terra edita, et Ambrosii hex. V 2. 6: in terra editos. Ad rem conferas p. 49.
al. III 619: cum stirpe suorum
cont. Sym. I 618: cum laude suorum.

Restat ut de Prudentii carminibus Peristephanon et Dittochaeon agamus.

Imitationis autem vestigia in his carminibus perpauca inveniuntur ut ad sententiam adducamur Victorem haec carmina in suis deliciis non tam habuisse quam cetera. Vide exempla:

al. prec. 91: hoste subacto
al. I 415: hoste subactus
peristeph. V 513: subactis hostibus
cfr. Paul. Nol. XVI 135: hostis subactus
al. I 7: potens in maiestate

*peristeph. XI 218: maiestate potens
al. I 80: super astra . . . ferri
peristeph. VI 123: per astra ferri
al. III 21: per varium facinus
peristeph. XII 103: per varium nefas
al. prec. 86: fraude veneni
dittoch. 2: fraude venenum
al. II 429: pro crimine tantum
dittoch. 156: pro crimine tanto
al. II 501: columba refert
dittoch. 10: columba refert
al. II 502: paciferae . . . libamen olivae
dittoch. 10: ramum viridantis olivae
cfr. Hilarii genes. 192: paciferae folium . . . olivae, et Ausonii ord. urb. nob. XV 88: paciferae primum . . . arbor olivae.

His poetis accensendus est **Paulinus Nolanus.**

Etiam huius imitationis vestigia apud Victorem indubitata haec sunt:
al. I 1: mundique tenebras
Paul. Nol. XIX 30: mundique tenebras
al. I 43: circumrotat orbem
Paul. Nol. XVI 2: rotat orbem
cfr. supra p. 29 et Incerti Moretum 26: rotat . . . concitat orbem (Baehr. II. p. 180.)
al. I 181: Tartara Christus
Paul. Nol. XXXV 101: Tartara Christo
al. I 192: omnia semper
Paul. Nol. XXIX 5: omnia semper
cfr. Avieni Arat. 1649: omnia semper
al. I 195: rebus . . . creatis
Paul. Nol. XIX 140: rebus . . . creatis
al. I 219: forma futuri
Paul. Nol. XXVIII 219: forma futuri
al. I 282: rutilans . . . igne coruscat

Paul. Nol. XXXVI 247: rutilo ... igne coruscat
cfr. Avieni Arat. 162: igne coruscans
al. I 537: vita sequatur
Paul. Nol. VIII 266: vita sequatur
cfr. Sil. Ital. XIII 874: vita sequetur
al. II 16: paradisus inest
Paul. Nol. XXXV 192: paradisus adest
al. II 35: quibus indiget usus
Paul. Nol. XXI 571: quibus indiget usus
*cfr. Verg. ecl. II 72: quorum indiget usus
al. II 39: verba querellis, cfr. al. III 215
Paul. Nol. XVIII 254: verba querellis
al. II 193: nube malorum
Paul. Nol. XXXVI 155: nube malorum
al. II 310: per nomina mille
Paul. Nol. XIX 159: per nomina mille
al. II 355: terrena secuti
Paul. Nol. XV 95: terrena secutus
cfr. carm. adv. Marcion. I 71: terrena sequentes
et Commod. apolog. liber 755: terrena sectantes.
Sed de hac lectione conferas: Abh. d. Bayer. Acad. d. Wiss. Monach. 1886. vol. 16. p. 291.
al. III 218: summa petiti
Paul. Nol. XXI 9 et 35: summa petiti
al. II 548: quo condidit omnia nutu
Paul. Nol. XXI 774 et XXIII 104: qui condidit omnia verbo.
al. III 230: vires ... ministrat
Paul. Nol. VI 14: viresque ministras
cfr. Ilias lat. 395: viresque ministrat et Manil. astron II 399 et V 226.
al. III 331: dignatus adire
Paul. Nol. XIX 194: dignatus adire
al. III 622: munere fultus
Paul. Nol. XXII 64: munere fulti
cfr. Ambros. hex. V 14. 46: munere fulciuntur

al. III 697: more sinistro
Paul. Nol. XXI 513: more sinistro
al. III 711: mente recepta
Paul. Nol. XIX 534: mente recepta

Commodiani ad nos pervenerunt Instructiones et carmen apologeticum.

Iam supra (p. 9) vidimus Commodianum a Victore hic illic in usum vocatum esse. Ceterum non multa imitationis exempla erui possunt. Cuius rei causae et in huius poetae genere dicendi quod „volgarem fere barbariem sapit“ et versuum asperitate et in re ipsa tractata esse videntur positae. Qua in re sentio cum Bernhardo Dombart (cfr. edit. praef. p. 1) et cum Manitio qui ad rem adnotat (cfr. p. 41): Anklänge an Commodian bei späteren Dichtern fehlen zwar nicht ganz, doch sind sie nur wenig bedeutend. Quae quamquam ita sunt, tamen conferenda puto quae legimus:
al. I 25: tempore nata
instr. I 5. 6: tempore natus
cfr. Manil. astron. V 119. 359. 700: tempore natis
al. I 30: in ultima fine
instr. II 4. 3: in ultima fine
et apolog. 934: in ultima fine
al. I 81: qui credere nolunt
apolog. 439: qui credere nolunt
cfr. ib. 731. 741. 841. instruct. I 46. 14. August de civ. Dei XII 13.
al. I 199 sq: quis digna parenti laudis sacra ferat
apolog. 88: quis deo dignus
et ib. 674: sacra ferre
al. III 61: omnia gaudent
apolog. 963: omnia gaudent
al. III 490: credere Christo

apolog. 662: credere Christo
cfr. instruct. I 25. 13 et 21; I 36. 16; II 5. 1. Iuvenc. IV 554.

Haec hactenus de carminibus amplioris ambitus. Procedit quaestio ad carmina minora percensenda. Sed ne eorum copia huius disputationis fines frangat atque disrumpat, gravissima solum mihi memoranda elegi.

Exordiar ab **Hilarii Genesi.** Quod carmen*) constat ex 204 hexametris et tribuitur Hilario Arelatensi. Atque in hoc carmine idem atque in Victore nostro observatur; non semper enim Moysis vestigia secutus est Hilarius, sed nonnunquam latius dictio incessit maximeque in iis partibus quibus flores et colores ab aliis delibavit poetis**). Victorem huius carminis memorem fuisse indiciis indubitatae imitationis comprobatur:

al. prec. 125: saeclorum saecula vivit
Hil. gen. 18: vivens per saecula
al. I 52: densis . . . tenebris
Hil. gen. 57: densaeque tenebrae
cfr. Sil. Ital. XII 654: densaeque . . . tenebrae
al. I 160: nunc hominem faciamus
Hil. gen. 116: tunc faciamus . . . hominem
al. I 298: agmine campos
Hil. gen. 12: agmine campos
al. I 359: coniugis aptam
Hil. gen. 124: coniugis apta
al. I 434: ille perennis
Hil. gen. 17: ipse perennis
al. III 107: terra gravis
Hil. gen. 42: terra gravis
al. III 103 sqq:

---

*) nuperrime editum a Rudolfo Peiper in corpore scriptt. ecles. lat. vol. XXIII Vindob. 1891.
**) cfr. Manit. p. 190. n. 1 et p. 192. n. 1.

omnia nosse simul coramque oblata tueri
quae fugiens rapuit quaeque est quaeque afferet olim
saecula venturis carpenda nepotibus aetas
ib. 118: hinc artes traxere caput . . .

Hil. gen. 148 sqq:
hinc meminisse licet veterum praesentia nosse,
hinc datur atque animae fas est ventura videre,
hinc loquimur canimusque deum, hinc sidera cuncta
terrarumque viget cultus pontusque movetur:
hinc artes nomenque pudor prudentia iustum*).

Iam vero **carmen adversus Marcionitas** annectam. Cuius carminis quis fuerit auctor quoque tempore conditum sit parum constat. Nuper demum Oxé egregia dissertatione instituta quae inscribitur: Prolegomena de carmine adversus Marcionitas, Lipsiae 1888, hoc carmen propter dictionem rationemque dicendi ab Africano quodam compositum esse comprobavit, quandam inesse cognationem cum Commodiani carminibus planum fecit.

Victor, si hoc carmen omnino respexit, tamen parcissime adhibuit; conferas:

al. prec. 38: omnia dives
adv. Marc. IV 175: omnia dives
al. prec. 100: sapientia verbi
adv. Marc. I 33: sapientia verbis
al. I 217: propriae virtutis egena
adv. Marc. II 189: propriae virtutis egeni
al. I 526: arte redemptus
adv. Marc. II 249: virtute redemptus
al. II 54: totus ubique es
adv. Marc. IV 17: unus ubique est
al. II 246: displicet istud
adv. Marc. I 145: displicet unum.

---

*) cfr. Manit. p. 191. n.

Huic carmini aliud adiciam quod eidem auctori assignatur Q. Septimio Tertulliano. Quod carmen inscribitur: **De iudicio Domini liber unus.** Et priusquam ad propositum accedam, in hoc carmine hic illic similitudines cum Cypriani Exodo mihi occurrisse inicio. Quae quidem hae sunt:

iudic. Dom. 167: de sedibus imis
  exod. 730: de sedibus altis
iudic. Dom. 214: carbunculus ardet
  exod. 1099: carbunculus ardet
iudic. Dom. 381: terminus aevi
  exod. 1019: terminus aevi.

Nolo autem inde colligere hoc carmen Cypriano ipsi adscribendum esse.

Ceterum ne paucissima quidem illa silentio praeteream quae in libro quem dixi ad Victoris verba adsonant:

al. I 283: luce smaragdus
  iudic. Dom. 215: luce smaragdus.

Quocum loco aliqua tenus conferas apud Ovidium met. II 24: lucente smaragdis.

al. II 523: formavit in usus
  iudic. Dom. 150: formavit in aevum
al. III 360: cum sede superna
  iudic. Dom. 47: sedemque supernam.

Hinc ad carmen quod inscribitur: **Cypriani ad quendam Senatorem** ex christiana religione ad idolorum servitutem conversum pergimus examinandum.*)

Hoc carmine Victorem usum esse pro certo contendi non potest. Tamen similia exhibeo:

al. I 142: quem propter cuncta paravit
  ad. senat. 101: qui cuncta creavit
al. I 162: qui mente
  ad senat. 39: qui mente

*) in lucem emissum est a Rudolfo Peiper l. c. p. 227 sqq.

al. I 399 sq: nam qui dinoscere nescit quo distent diversa bonis, hic nec bona novit

ad senat. 47: vera quid a falsis, quid ab umbris lumina distent.

al. I 435: frigusque calorque

ad. senat. 53: et calor et frigus

al. II 2: sincera fides

ad senat. 68: sincera fides

cfr. Claudian. carm. min. XXV 92: sincera fides

al. III 361: lege salutis

ad senat. 39: lege salutem.

Restat ut mentionem faciam carminum quae sunt: **De laudibus Domini, De Sodoma, De Jona propheta.** Ex quibus haec in comparationem vocavi:

al. I 55: fundenda ad germina terris

laud. Dom. 44: committunt semina sulcis

cfr. Cic. Arat. Phaen. 275: mandent mortales semina terris

Manil. astron. V 274: seminaque . . . sulcatis credere terris.

al. II 497: surgere colles

laud. Dom. 70: assurgere colles

cfr. Ovid. met. I 44: surgere montes

al. III 494: terra meliore locavi

laud. Dom. 89: in sede locatus

al III 542: limite vitae

laud. Dom. 96: limite vitae

al. I 378: omnia facta simul

de Sodom. 61: dicta et facta simul

al. II 223: quandoque futurus

de Iona 104: quandoque futurum.

Poetae ethnici.

Hac parte perfecta ut erat propositum ad poetas properemus ethnicos. Exordiamur iure ac merito a **Vergilio.** Omnes autem locos a Schenkelio in indice congestos rursus proponere nolo, paucos qui ad imitationem illustrandam maxime idonei videntur eosque qui eum fugerunt et quos ipse investigavi proponere consilium meum est. Accipe exempla digna quae proferantur haec.

Bucolica:

al. I 230: mitia . . . poma
*eclog. I 80: mitia poma
cfr. de ave Phoenice 30: mitia poma (Baehr. III p. 254).
al. II 53: omnia plena
eclog. III 60: omnia plena
al. II 104: nudum in silicem
*eclog. I 15: nuda in silice

Georgica.

al. prec. 89: sedibus ex Erebi
georg. IV 471: Erebi de sedibus
cfr. anth. lat. R. 16. 89: Erebi de sedibus et Lucan. I 455: Erebi sedes.
al. I 63: mane novum
*georg. III 325: mane novum
cfr. Nemes. cyneg. 324: mane novum
al. I 96: iam tribus exactis
georg. III 190: at tribus exactis
cfr. georg. III 139 et aen. V 46: exactis . . . mensibus
al. I 91: vario . . . fletu
georg. I 55 et II 521: varios fletus.
al. I 104: varios . . . colores
*georg. I 452: varios . . . colores

Ceterum innumerabiles sunt eius modi loci. Conferas modo eclog. IV 42. aen. IV 701 et V 89. Lucret. II 783

et 759. IV 490. Ovid. met. I 270. Martial. II 46. Paul. Nol. XXVIII 213.

al. I 120: squalentia ... terga
  *georg. IV 13: squalentia terga
cfr. *Claudian. epith. Honor. 150: squalentia terga
al. I 122: terminus aevi
  georg. IV 206: terminus aevi
cfr. aen IV 614. Stat. silv. III 1. 180.
al. I 234: flore novo
  *georg. I 76: flore novo
al. I 235: fragiles ... calamos
  *georg. I 76 fragiles calamos
al. I 237: sed nec quod Medus
  *georg. II 136: sed neque Medorum
al. I 240: virga Sabaei
  *georg. II 117: virga Sabaeis
al. I 287: stagnis refluentibus
  *georg. IV 262: refluentibus undis
al. I 291: saltus ac ... pascua
  georg. III 323: saltus atque in pascua
al. I 368: accepit formam
  georg. I 170: formam accipit, cfr. II 450.
al. I 376: dulces nati
  georg. II 523: dulces nati
cfr. georg. III 170. * aen. II 128. IV 33. Lucret. III 893.
al. I 517: duro ... labore
  georg. IV 114: labore ... duro
cfr. ib. II 412 et Cic. ex Iliade 1: duros ... labores. Lucret. V 1270. Ov. trist. IV 10. 115.
al. I 545: via mortis amarae
  georg. III 482: nec via mortis erat simplex
cfr. Tib. I 10. 4. Senec. Oed. 1053. Rut. Nam. I 364.
al. II 31: sterilis ... silva
  georg. II 440: steriles silvae
cfr. Iuvenc. I 336: silvae steriles

al. II 167: fetus varios
georg. II 521 varios . . . fetus
al. II 395: sub legibus aevum
georg. IV 154: sub legibus aevum
cfr. Avieni Arat. 293: sub legibus aevum et Ambrosii hex. V 21. 66: vitae aetatem agere sub legibus
al. II 447: horret Hiberus
georg. IV 408: horrebis Hiberos
al. II 463: nubibus effluit imber
georg. IV 132: effusus nubibus imber
cfr. Avieni Arat. 1662. Hilarii genes. 176. Paul. Nol. XVIII 18. Ambrosii hex. II 4. 16 et VI 4. 20
al. II 483 sq: supremos . . . montes
georg. IV 460 sq: supremos . . . montes
al. II 516: in luminis oras
*georg II 47: in luminis oras
cfr. Verg. aen. VII 660. Lucret. I 23. 80. 171. II 577 et 617. Cic. Arat. Phaen. 748. Invenc. I 106. II 342. IV 760.

Victorem hoc loco Vergilium secutum esse probabile dico, quamquam iam apud Ennium annal. 118 et 144 (ed-Luc. Mueller): *in luminis oras* legitur atque haec versus clausula in eius fuit deliciis poetae.

al. II 525: saltus silvasque petunt
*georg. IV 53: saltus silvasque peragrant
cfr. Verg. aen. IV 72. Culex 22. Ov. met. XIII 872.
al. III 62: dulcique uligine laeta
*georg. II 184: dulcique uligine laeta
al. III 349 et 364: excitat aras
georg. IV 549: excitat aras
cfr. Cypr. genes. 423: suscitat aras et ib. iudic. 288. Caes. b. Gall. III 14 et V 40.
al. III 516: inportunarum . . . volucrum
*georg. I 470: importunaeque volucres
al. III 570: in deserta . . . secretaque lustra ferarum
georg. II 471: saltus ac lustra ferarum

cfr. Verg. * aen. III 647. VII 404. Sil. Ital. III 438. Iuvenc. I 364.

al. III 615: divini gloria ruris
  *georg. I 168: divini gloria iuris
al. III 560: medios . . . aestus
  georg. IV 404: medios . . . aestus
cfr. Verg. aen. I 297. Ov. met. XIII 811.
al. III 737: vicino . . . Vesaevo
  georg. II 224: vicina Vesevo
al. III 772: pabula terris
  georg. I 86: pabula terrae
al. III 714: qui sint, quid veniant
  georg. IV 393: quae sint, quae fuerint.

Iam vero pergimus ad Vergilii Aeneidem examinandam. Cuius testimonia imitationis haec comparanda videntur:

al. prec. 29: servare vices
et al. III 30: servabunt elementa vices
  aen. IX 220: servantque vices
*cfr. anth. lat. R. 720. 14 sq: elementaque . . . servare vices.
al. prec. 33: quidquid id est
  aen. II 49: quidquid id est
al. prec. 56: mente benigna
  aen. I 304: mentemque benignam
cfr. Prosperi carm. de ingrat. 672: mente benigna.
*Corippi Ioh. I 267: mente benigna. Prisciani carm. 253: mente benigna (cfr. Baehr. V p. 273). Claudiani carm. min. XXV 64: mentisque benigna.
al. prec. 86: saevi . . . veneni
  aen. XII 857: saevi . . . veneni
al. prec. 98: vocat ventura in regna
  *aen. VII 256: in regna vocari
cfr. aen. III 185. VII 578. XI 327. Senec. Oed. 805. anth. lat. R. 719. 5.
al. prec. 102: pectora cogis
  aen. III 56 et IV 42: pectora cogis.

aleth. lib. I.

al. I 56: lux inmissa superne
aen. VIII 245 sq: superne . . . inmisso lumine
al. I 73: ima petens
aen. VIII 67: ima petens
cfr. Ov. met. II 265: ima petunt. Ambrosii hex. III 2. 9: in ima descendens.
al. I 93: e tenero . . . caespite
aen. III 10: teneri caespitis
cfr. Ov. her. XV 160.
al. I 128: tumida aequora
aen. I 142: tumida aequora
cfr. aen. V 821. Ov. met. XIV 544. ib. her. XVII 35.
al. I 156: per singula ducat
aen. VI 888: per singula duxit
al. I 176: praemia digna
aen. I 66: praemia digna
cfr. aen. II 537. V 354. XI 856. Ov. trist. III 2. 50. ars am. II 702. fast. I 678. Commod. instruct. I 26. 38. anth. lat. R. 719. 88.
al. I 354: inops animique
aen. IV 300: inops animi
al. I 403 sq: rerum . . . altera pars
*aen. IX 131: rerum pars altera
cfr. Claudian. pan. IV. con. Hon. 70: pars altera rerum.
al. I 444: condere se terris
aen. II 893: te condere terra
cfr. anth. lat. R. 17. 453: te condere terra
al. I 456: voce vocans
aen VI 247: voce vocans
cfr. Verg. georg. I 387. ib. IV 680. aen. XII 638. Ov. met. X 3. id. her. X 34. Tib. II. 1. 83. Auson. VII 14. 3. Enn. annal. 43.
al. I 464: fas dixisse mihi, fas sit
aen. VI 266: sit mihi fas
al. I 466: pectore volvas

aen. XII 831: volvis sub pectore
cfr. Lucret. VI 34. Sil. Ital. XI 311.
al. I 473: vastos . . . recessus
*aen. VIII 193: vasto . . . recessu
al. I 486: pro talibus ausis
aen. II 553: pro talibus ausis
cfr. aen. XII 351. Ov. met. VI 84. VII 178. X 12. Sil. Ital. XIII 667. Iuvenc. IV 436.
al. I 496: vestigia figit.
aen. VI 159: vestigia figit
cfr. Cic. Arat. Phaen. 72: figit vestigia. Germanici Arat. 382 (cfr. Baehr. I p. 169. 382). Iuvenc. III 115. Stat. Theb. X 862. Claudiani Rapt. I 19: firmat vestigia.
al. I 502: patiere labores
aen. VII 421: patiere labores
cfr. aen. XII 33. Martial. XI 78. 9. anth. lat. R. 15. 57. ib. 17. 250. Baehr IV p. 210. 57.
al. I 508: prima salutis
aen. VI 96: prima salutis
cfr. anth. lat. R. 16. 17: prima salutis
et ib. 719. 63: ille dies primus leti primusque salutis
al. I 524: rerum ignarus
aen. VIII 730: rerumque ignarus
cfr. aen. X 666. Claudiani XXVIII 147.
al. I 343: nomina . . . figeret
aen. XI 84: nomina figi
al. I 528: graviora manerent
aen. VI 84: graviora manent
al. I 539: secumque volutant
aen. X 159: sequmque volutat
cfr. aen. XII 843. Ov. met. 389. Claudiani XXXIII 118.

aleth. lib. II.

al. II 6: sacratis . . . sedibus
aen. II 742: sedemque sacratam
al. II 16: causa doloris

aen. IX. 214: causa doloris

Sed haec clausula hexametri saepius apud Ovidium; modo conferas locos met. I 509 et 736. am. I 14. 14. II 6. 10. her. Sapph. 119. ars am. II 599. trist. III 7. 32. IV 3. 33. fast. VI 746.

al. II 29 sq: edendi . . . rabie

aen. IX 63 sq: edendi . . . rabies

al. II 43: vae mihi labe mali! felix dum vita maneret

aen. II 97: hinc mihi prima mali labes

et aen. V 724: dum vita manebat

cfr.* aen. VI 608 et 661. Lucret. V 16. Ovidi Ibis 43. Martial. VIII 38. anth. lat. R. 719. 87. Sil. Ital. XVI 609. Claudian. XV 306. Paul. Nol. XXI 28 et XXXI 3. Praeterea de hoc loco conferas Conradum Rossberg, De Dracontio et Orestis quae vocatur tragoediae auctore . . . Nordae 1880 p. 10.

al. II 62: artificis scelerum

aen. II 125: artificis scelus

al. II 78: arma movendi

aen. VIII 565: arma movenda

al. II 97: leto dare

aen. V 806: daret leto

cfr. aen. XII 328. Cic. leg. II 9. 22.

al. II 125: lubricus errat

aen. VII 353: lubricus errat

cfr. Gratt. cyneg. 115: lubricus errat (Baehr. I p. 36) et anonymi laus Christi 12: lubricus error.

al. II 145: murice cautes

aen. V 205: cautes . . . murice

al. II 149: attonitos . . . animos

aen. V 529: attonitis . . . animis

cfr. ib. VII 814: attonitis . . . animis

al. II 207: maximus aevo

*aen. XI 237: maximus aevo

cfr. Lucan. I 585 et Schenkelii praef. p. 351. Equidem vero non intellego cur ille hunc locum in eorum referat

numero qui sint minoris momenti, quippe qui ipse proferat locos alios multo levioris ponderis.

al. II 214 sq: libamina . . . prima

aen. VI 245: libamina prima

al. II 237 sq: peccata parentes morte luent

aen. X 32: luant peccata

cfr. aen. XI 444 et 849. Ov. fast. IV 322. 711. 809. Ibis 620. Ilias lat. 42: luit peccata parentis (Baehr. III p. 9).

al. II 251: sorte perempti

aen. XI 110: sorte peremptis

al. II 340: ter centenos . . . annos

aen. I 272: ter centum . . . annos

al. II 425: multo . . . labore

aen. I 628: multos . . . labores

al. II 526: infoditur . . . terrae

aen. XI 205: terrae infodiunt

al. II 458: servaturusque tenorem

aen. X 350: servatque . . . tenorem

cfr. Lucret. IV 630. Claudiani carm. min. IX de hyst. 33.

al. II 515: aetherio . . . sensu

aen. VI 747: aetherium sensum

al. II 531: perlustrans omnia visu

aen. VI 887: omnia lustrant

cfr. Ov. met. III 366. Stat. Theb. V 546. Claudiani pan. VI. cons. Hon. 412. *in Ruf. II 496 sq. Avieni Arat. 27.

aleth. lib. III.

al. III 97: conscia venturi

aen. VI 66: praescia venturi

cfr. Claudian. de cons. Stil. III 180: venturi . . . praescia de bell. Poll. 98. Ov. met. VI 157. ib. IX 418.

al. III 139: cursus variosque recursus

aen. V 583: cursus aliosque recursus

cfr. Manil. astron. I 475: variosque recursus

al. III 163: magicae . . . artis

ib. III 187: magicas . . . artes
aen. IV 493: magicas . . . artes
cfr. Ov. am. III 7. 35. id. remed. 250.
al. III 196: obscuras . . . umbras
aen. VI 453: umbram obscuram
al. III 251: caelo descenderit alto
*aen. VIII 423: caelo descendit ab alto
cfr. Manil. astron. IV 817: caelo descendit ab alto
al. III 326: terras . . . linquimus
aen. X 193: linquentem terras
cfr. eclog. I 3. Ov. met. VI 105. XIII 630.
al. III 266: vocem . . . remittit
aen. XII 929: vocem . . . remittunt
al. III 359 sq: secundo . . . loco
aen. V 258: locum . . . secundum
al. III 367: castra movet
aen. III 519: castra movens
cfr. aen. XI 446: castra . . . movebat
al. III 385: cumulatum fruge remittit
*aen. IV 436: cumulatam morte remittam
al. III 409: pateant . . . hospite
aen. I 298: pateant . . . hospitis
al. III 423: bellum inferre parantes
aen. II 428: bellum inferre paratis
al. III 433: ter centum deligit omni
aen. VII 274 sq: eligit omni . . . ter centum
al. III 424: praecepere . . . animis
aen. VI 105: praecepi . . . animo
al. III 428: vertunt terga metu . . . rapido . . . cursu
aen. VI 491: vertere terga. ib. VIII 706: vertebant terga. ib. V 29: rapido contendere cursu. cfr. aen. VII 676. ib. XII 683 et 711. Ov. art. I 629.
al. III 434: instruit armis
aen. III 471 et VIII 80: instruit armis
cfr. Ov. her. XVI 239: instructa armis. *Claud. pan. VI. con. Hon. 217: instruit arma

al. III 445 sq: tacitis . . . vulneribus
aen. VI. 67: tacitum . . . vulnus
al. III 452: nec tamen omne
aen. VI 736: nec tamen omne
cfr. Lucret. II 371 et 700. Ov. met. X 724. am. I 8. 10. trist. II 547.
al. III 466: pia cura parentis
aen. III 441: cura parentis
cfr. Ov. trist. I 1. 115. id. am. II 16. 47: pia cura = her. VIII 15. cons. ad Liv. 423. Prudent. peristeph. III 36: pia cura parentis. Ausonii prof. XXV 9: pia cura parentat.

De hoc loco in angustiis versor. Fieri enim potest ut Prudentius suum locum cum Victoris loco congruentem ad verbum ex illorum pannis consuerit. Victor igitur Prudentii verba ante oculos habuisse potest. Fieri tamen etiam hoc potest ut ex communi hauserit fonte uterque. Denique rem in medio relinquamus incertam.

al. III 471: munere donat
aen. V 282 et 361: munere donat
cfr. eclog. VIII 454. Horat. carm. IV 2. 20. Ov. art. II 261 et saepius apud alios.
al. III 480: fallit amorem
aen. IV 85: si fallere possit amorem
cfr. Ov. met. IV 128. am. III 4. 20. remed. 42 et 653
al. III 517: violarent sacra
aen. IX 591: sacrum violarit
al. III 537: reddam terris
aen. VI 18: redditus . . . terris
al. III 565: fastu tumefacta superbo
aen. III 326: fastus iuvenemque superbum
al. III 578: moresque manusque
aen. VI 683: moresque manusque
al. III 579: de stirpe nepotum
aen. VI. 864: de stirpe nepotum
cfr. aen. VII 99. Stat. silv. II 1. 199. Val. Flacc. V 500.

al. III 611: saeclis volventibus aevum
aen. I 234: volventibus annis
et georg. II 295: volvens . . . saecula
al. III 628: eximit aevo
aen. IX 445: eximet aevo
al. III 644: visibus obiecit
aen. V 522: oculis obicitur
al. III 717: permixtamque domum
aen VII 348: domum . . . permisceat
al. III 724: extra moenia ducunt
aen. IV 74: per moenia duxit
et aen. VIII 165: sub moenia duxi
al. III 748: coeunt . . . in unum
aen. IX 798: coit in unum

Haec exempla ex Vergilii carminibus habes congesta. Et concedendum est leviora permulta et minutiora a me esse allata. Tamen hac in re ne minutiae quidem spernendae sunt. Atque etiam erunt sine dubio quae addi possint quaeque iniuria neglexerim.

Restat ut de iis poematis quae vulgo sub Maronis nomine feruntur pauca dicam. Rimanti mihi Catalepton nulla imitationis vestigia obvia ierunt. Quamquam XIII 1: *tempora vitae* legimus, tamen hunc locum non refero inter imitationes. Neque aliter res se habet in Copae elegia et Moreti idyllio et Lydia. Contra ex **Culice** me quidem iudice fluxisse videntur verba quae leguntur:

al. I 233: tellus . . . distincta colores
*culex 71: distincta coloribus arva

Atque e **Diris** manifesto desumpta sunt haec exempla:

al. I 114: corpora ponto
Dirae 57: corpora ponto
al. III 462: praemia belli
Dirae 55: praemia belli

cfr. Tib. II 5. 115. Lucan. I 341. V 330. Val. Flacc. II 114. Sil. Ital. III 149.

De **Ciri** hoc unum fluxisse videtur exemplum:

al. III 325: exegerat annos
Ciris 45: exegimus annos

Quae in ceteris poematis animadverti exempla pauciora et leviora sunt neque digna quae hic proponam.

Iam vero ad **Ovidii** libros procedamus evolvendos. Iam supra docuimus Victorem gravioribus in rebus ab Ovidii primo libro metamorphoseon pendere. Sin autem disponendi rationem primi metamorphoseon libri et Victoris carminis perlustramus, idem apparet, neque modum me transire abitror si res in bibliis sacris traditas a Victore Ovidio potissimum auctore ac praeceptore in aptam carminis compositionem redactas esse contendo. Restat ut doceam et in genere dicendi in Ovidii viribus stare Victorem. Cuius rei documenta adscribam exordiens a metamorphoseon libris:

